

~~B. 1499.~~

7 Botsaccus, Joh.

2 Eschius, N.

Johann Botsack
✓

1
BREVIARIUM

S.S. Theologiae,

IN

DUOS LIBROS

distributum

ET

Methodicè digestum

In

Usum Scholarum regiaë urbis

GEDANI.

è

S. Scripturâ & libris, Augustanæ

Confessionis yvnoicæ addictarum

Ecclesiarum, symbolicis

â

JOHANNE BOTSACCO D.

Gymnasij Gedanensis Rectore.

Editio secunda Correctior.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

MAGDEBURGI,

Sumptibus JOHANNIS LÜDERWALDE,

Bibliopol.

ANNO dō 1ō c LXIX,


BREVIA



JOHANNES BOLZACCO D.

Sammlung Johannes Bolzacco





*LECTISSIMIS,
Nobilissimis,*

VALENTINO à BODECK, *¶ Junio*
GVALTHERO ROSENBERGIO, *¶ oribus.*
HEINHOLDO BARTSCHIO,
JACOBO PUSCHIO,
GONSTANTINO FERBERIS, *¶ Junio*
atq; JOHANNIS *¶ tribus.*

Adolescentibus, puerisq; præclaræ
expectationis S.

Dostquam has pa-
ginas congeffi, dica-
tas, bono (ut augu-
ror feliciter) Schola-
stico, nihil mihi san-
ctius & antiquius fuit, quàm ut e-
asdem sub auspiciis illorum, in lu-
cem & regnum litterarium ire ju-

A 2

be-

berem, quos vel grata beneficio-
rum memoria plurimorum, pro-
piore mihi nexu devinxit; vel
quos sinceræ fidei amor inteme-
ratus, exemplo majorum geni-
torumque omni prædicatione
majori, suo quasi jure (quod pie-
tatis & virtutis proprium est) jam
pridem mihi conciliavit, meq; in
eorum affectum ita pellexit, ut
malim parvum hoc magni affe-
ctûs singulariumq; in eos studi-
orum, monumentum extare,
quàm planè nullum.

Idq; eò magis, (ut ad rem de-
veniam) quòd solidæ pietatis,
cujus vos, *Leëtissimi surculi*, ama-
tores impensissimi estis, titulum
præ se ferret hoc, quicquid est,
PREVIARI, cujus nunc copias in
am-

amplissimum commoditatum
vestrarum, totiusq; adeo schola-
sticae juventutis adorea, thea-
trum educo, & si vultis, (velle ve-
rò vos, & eximia quaedam de vo-
bis omnibus concepta spes, & pa-
triarum virtutum æmulationo, ad
credendum facile inducit,) ex as-
se confecro.

Itaque non committam, ut,
quorum studiorum unum quem-
libet vestrum incredibili amore
duci scio, eorum prolixâ com-
mendatione aures animosq; ve-
stros demulceam: neq; , ut pluri-
morum in me, à parentibus ve-
stris collatorum beneficiorum
memoriam publicè repetam. Id
tantum agam, ut hæ tabulæ præ-
fixum habeant sibi, vobis verò

A 3

præ-

præscriptum, Apostoli Gentium
Doctoris monitum longè gravif-
simum: à puero sacras literas nove-
ris, (noveritis,) quæ te (vos) possint
erudire ad salutem.

Proinde vobis Lectis: adole-
scentes pueriq; sacrarū literarum
prima hæc rudimenta, atq; semina
inscribo, & quod iteratò dico, af-
fectum vobis gratum signo, De-
um veneratus supplex, ut per ma-
jorum vestrorum genitorumq;
vestigia gradientes, eam hanc Re-
ligionis infucatae orbitam secte-
mini, quæ vos olim pientissimos,
Patriæ Patres, & Justitiæ, quæ si-
ne pietate nulla est, vel infelix, ar-
bitros, cum maximo Reipubl: in-
cremento, æternâq; Familiarum
vestrarum laude, & gloriâ avita,
ad

ad Reipub: gubernacula admo-
vebit, & exantlatâ hujus vitæ pe-
riodo, è sacrario temporalis ho-
noris, vos in felicitatis illud ævi-
ternum translatos (quod Christi-
anismi ultimum caput est) in cœ-
lestis illius stationis placidissimâ
possessione collocabit. Vos inte-
rim crescite ætate, sapientia, &
gratia apud Deum, hominesq; &
sapientiam cœlestem, (quæ hujus
& æternæ vitæ promissionem ha-
bet) & me fidum ad eamdem, *in*
Domino, ducem & formatorem,
quod facitis, amare pergite. Dab:
III, Kal: Octob: M. DC. XXXIV.

G E D A N I.

Vester

Johannes Botsaccus D.

Rector Gymnasij.

A 4

AU.

AUTORIS MONITUM

Ad Lectorem & Typographos.

HAbes, *Lector benevole*, divinæ hîc
Scientiæ prima *Rudimenta*, bre-
viter delineata, ex quô factum est, ut
hisce *Breviarij* nomen dixerim. Ego
verò id abs te, quisquis es, impensè
rogo, ut ad hæc nostra legenda ani-
mum candidū adferas, illaq; omnia
ad *hypotyposin sanorum verborum*, per-
petuamq; *libellorum Symbolicorum no-*
strorum, *harmoniam* interpretaris, neq;
(quod admodū proclive est multis) è
phrasei *λογομαχίας* nectas, contra D.
Pauli præscriptum: (quanquā etiam
id operam dederim, & monente Au-
gustino (*lib. 10. c. 27. de civ: Dei.*) in hisce
fidei & Religionis rebus rectè loqui, anni-
xus sim.) Et scita est ejusdem Augusti-
ni sententia: (*lib. 1. contra Crescon.*) Mali-
gna (inquit) *professio est, quæ sibi propo-*
nit, non ex animo. sed ex contentione, vel
quoquo modo, contra omnia, vel pro o-
mnibus.

*omnibus dicere. Cæterum uti jam olim
anno nimirum 1634. eos,*

*qui pariant multos are loquace libros,
sincere monui, ne præter voluntatem me-
am, in scioq; Typographo nostro, Gymna-
sij Gedanensis, Georgio Rhetio, hoc suis
exscribere typis Breviarium molirentur;
memores illius Salvatoris sententiæ, o-
mnium hominum mentibus impressæ:
(Matth. 7, 12.) *Quod tibi non vis fieri, alteri
ne feceris; interminatione factâ, si secus
facturi iidem forent, nunquam mihi cum
DEO, vel amplificandi vel corrigendi hoc
Breviarium, ut in cassum futura ejusmodi
esset editio, occasionem de futuram esse
vel facultatem; ita nunc significo, volun-
tate meâ fieri, quòd apud Magdeburgenses
Bibliopola, Johannes Lüderwaldus, Edi-
tionem secundam hujus Breviarij hoc an-
no 1669 adornet. De cætero, si non opella
isthæc, attamen juventuti Scholasticæ stu-
dium gratificandi meum bonis quibusq;
placitum sit. Efficiet J E H O V A,**

*ne labor in Domino noster inanis eat:
(August. in Psal. 127.) quin potius jucundos
manducantes fructus laborum, cum exultatio-
ne veniamus portantes manipulos nostros.*

Ita fiat!

A 5

IN-



I N D E X

Capitum, cum Parallelismo
symbolicorum librorum Ecclesiae
Lutheranae.

ΜΗΔΕΝ ΠΙΣΤΑΜΕΝ, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζήτη-
σεις καὶ λογομαχίας. 1. Tim. 6. v. 4.

LIBRI I.

- CAP: I. De Theologiâ & Religione.
II. De Scripturâ.
III. De DEO, *art: 1, Aug: Conf:*
IV. De Filio.
V. De Sp. Sancto.
VI. De operibus Dei.
VII. De Creatione.
VIII. Providentiâ.
IX. Angelis.
X. Imagine Dei.
XI. Peccato. *August: Confess: art: 2.
& art: 19. de causâ peccati; art: 18.
de Libero arbitrio. F. Concord: art: 1.*
XII. Prædestinatione, *F. C. art: 11.*
XIII. Redempt: *art: 3. A. Conf: F. C. art: 8.
vel Christo.*

XIV.


- XIV. Statibus Christi. *F. Conc: art: 9.*
- XV. Vocatione Dei ad salutem.
- XVI. Veteri & Novo Testamento. *F. Concord: art: 5. | 6.*
- XVII. Pœnitentiâ. *art: 12. A. C. & art: 18. de Libero arbitrio. F. Conc: art: 2.*
- XVIII. Justificatione. *A. C. art: 4. For: C. art: 3.*
- XIX. Unione cum Christo.
- XX. Sanctificatione. *art: 6. Aug: Conf.*
- XXI. Libertate Christianâ. *art: 15. A. Conf: Form: C: art: 10.*
- XXII. Sacramentis in genere. *art: 13. A. Conf.*
- XXIII. Circumcis: & agno Paschali.
- XXIV. Baptismo. *art: 9. A. Conf.*
- XXV. Cœnâ Domini. *art: 10. A. Conf. art: 7. F. Conc:*
- XXVI. Ecclesiâ. *art: 7. A. C. & 8.*
- XXVII. Ministerio. *art: 5. A. C. & 14.*
- XXVIII. Conciliis.
- XXIX. Magistratu. *art: 16. Aug: Conf.*
- XXX. Conjugio.


- XXXI. Morte & statu animarum,
XXXII. Resurrectione mortuorum.
XXXIII. Iudicio. *art. 17. A. Conf.*
XXXIV. De Vitâ æternâ & Inferno.

LIBRI II.

- CAP. I. De fructibus fidei, vel bonis
operibus. *Aug: Conf. art: 20.*
II. Fide, Spe, Charitate.
III. Rever: Orat: Juram: sort:
IV. Sanctificatione Sabbathi.
V. Honore & charitate, secundæ ta-
bulæ,
VI. Charitate quinti præcepti.
VII. Charitate sexti præc:
VIII. Charitate septimi.
IX. Charitate octavi,
X. Noni.
XI. Decimi.

*Additamenta Mnemonico-
Biblica.*





Breviarij Theologiae

LIBER I.

DE VERA FIDE.

CAPUT I.

De Theologia & Religione in genere.

I. Quid Theologia?



Theologia est Christianae Religionis scientia practica.

Religio Christiana est revelata agnitio & revelatus cultus Dei, ad eternam vitam ex fide in Iesum Christum obtinendam.

(Differt ab Ethnica, Turcica, Judaica, & quavis alia Religione.)

2. Quae Causae Religionis?

Causae Religionis hujus 1. Efficiens, ipse Deus est, se revelans in verbo, prout vult agnosci, & coli. Job: 1, 18. Deum nemo vidit unquam, Unigenitus filius, qui est in

sinu patris, ipse enarravit nobis. 2. *Ministeriales, sunt prophetae, Apostoli, Evangelistae, omnes ad hanc fidem in Christum respicientes. Actor. 10, 43. Huic Jesu omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.*

Materia Religionis 1. Ex qua, sunt dogmata credenda, 2. Circa quam, Deus ipse, 3. in qua, Mens & voluntas hominis, una cum appetitu: quae omnia a Religione Christiana informantur.

Forma ejus est, agnitio Dei per Christum, & in Christo solo, ut lapide angulari, 1. Cor. 3, 11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Jesus Christus.

Finis 1. summus, Dei gloria.

2. Subordinatus respectu nostri, est communio nostri cum patre & filio, 1. Joh. 1, 3. 7.

3. Quae effecta?

Effecta hujus Religionis admiranda sunt. 1. Tranquillare conscientiam, Matt. 1, 29. Discite a me, quia mitis sum, & humilis

in illo corde : & invenietis requiem animabus vestris.

2. *Placatum Deum in Christo ostendere,*
Rom. 5. v. 9. Justificati in sanguine ipsius,
salvi erimus ab irâ per Christum.

4. Quæ adjuncta?

Adjuncta hujus sunt 1. Duratio ab initio mundi, Act. 15, 10, 11. 2. Veritas & soliditas patet à principio divinissimo, admirabili conservatione & propagatione, Martyrum obsignatione, plurimis miraculis, & admirabili gentium conversione. 3. Unitas, ob unum verum DEUM, 1. Cor. 8, 6.

CAPUT. II.

De Partibus Theol. Chr:

Ceterum Theologiae partes sunt duae: 1. De fide. 2. de fructibus fidei 1 Iob: 3. 23. Hoc est mandatum DEI, ut credamus nomini filij ejus, & diligamus alij alios.

I. Quid fides?

Fides est prima pars Theologiae, intellectum & voluntatem hominis, DEI cognitione verâ, & fiduciali apprehensione Christi,
ad

ad vitam eternam informans, docendo,
Christiana fidei & cognitionis principium
& gradus.

2. Quid principium fidei Christi?

*Principium fidei Christianae est Sacra scri-
ptura, sive Dei verbum, canon & Regula fi-
dei sola, & morum Christianorum: Ps. 19, 5.
In omnem terram exivit sonus eorum,
Phil: 3, 16. Conf. Gal: 6, 16. Quicumque ad
hanc regulam incedunt, pax super illos &
misericordia, & super Israel DEI.*

(Excluditur Alcoran: Thalmud, Ratio, Appa-
ritions, Concilia, Patres &c.)

3. Quæ causæ Scripturæ S.?

*Scriptura huius causæ 1. Efficiens, est De-
us, Luc. 1. v. 70. Locutus est (Deus) per os
sanctorum, qui à seculo sunt, propheta-
rum ejus. Ministeriales, Prophetae &
Apostoli, Evangelistæ N T. & Apostolici vi-
ri 2. Pet. 1. v. 19, 20. 21. Habemus firmio-
rem propheticum sermonem, cui benefa-
citis, attendentes, quasi lucernæ, lucenti
in loco caliginoso: donec dies illucescat,
& lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc
primùm intelligentes, quòd omnis pro-
phetia*

phetia scripturae, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed à Spiritu sancto acti, locuti sunt sancti Dei homines.

2. *Materia, sunt* 1. *Dogmata credenda.* 2. *vel Libri, qui vel Canonici, vel Apocryphi.*

Canonici sunt, qui in V. T. lingua Hebr: scripti, Ecclesiae Judaicae commendati sunt, ad Ecclesiam Novi T. derivati.

(Ratione materiae & temporis variè divisi in V. & N. T. In Evangel. Prophetis: &c.)

Apocryphi, qui non sunt scripti lingua Hebr: destituti Ecclesiae testimonio utriusq; utiles tamen sunt ad edificationem morum, August: lib. 15. c. 23. de Civ: Dei col. 852. Tom. 5.

3. *Forma, est ipsa θεοπνευσία vel divina veritas & inspiratio, 2. Tim. 3, 16. Omnis (enim) scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitiâ: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

4. *Finis, internus est, Fides. Externus, Vita aeterna. Joh. 20. v. 31. Haec (signa) scripta sunt*

sunt

sunt, ut credatis, Jesum esse Christum, filium DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.

(Sola igitur scriptura est norma, & iudex controvers. contra Pontif.)

3. Quæ affectiones scripturæ?

Affectiones scripturæ sunt tres potissimum.

1. *Claritas, quæ est perspicua in fidei Elementis intelligibilitas, Ps. 119, 104. Lucerna pedibus meis, verbum tuum, Domine. 1. Pet. 3, 20. Lucerna in loco caliginoso.*

2. *Autoritas, quæ est valor scripturæ insitus, divinissimus, ortus ex Deo revelante scripturas, è divina materia, forma, fine, effectis, adjunctis miraculis, nulli alii verbo competentibus.*

(Non igitur dependet ab Ecclesiâ, contra Pontif.)

3. *Perfectio, quâ nil deest necessariorum scitu ad salutem, 2. Tim. 3, 16. Ps. 19, 8. Lex Domini perfecta.*

(Contra Pontif. Tradit.)

4. Digressio.

Ad scripturam referuntur, ut normam summam & solam, symbola & libelli symbolici.

Symbola sunt solennes Ecclesiæ de fide Christi.

Christianâ confessiones. Suntq; tria Oecum-
 enica 1. Apostolicum, quod in Catechesi
 traditur, 2. Nicænum, contra Arium, ne-
 gantem Christi Deitatem: 3. Athanasianum,
 contra eundem. Libri symbolici sunt 1. Con-
 fessio Augustana invariata, 1530. Carol. V.
 Cas. exhibita. 2. Eiusdem Apologia. 3.
 Articuli Smalc. 4. Uterque Catechismus
 Lutheri, major, minor 5. Formula Concor-
 dia. [Lipsiæ edit: uno fasciculo.]

Finis horum non est Κριτικός, (non enim
 sunt iudices Controversiarum summi,) sed
 μαρτυρητικός, testificatorius de fide nostra. ἰσχω-
 ρητικός, de certaminibus in Ecclesia, Διφθε-
 ρητικός, sive discretivus Ecclesie vera à se-
 culari decentibus.

CAPUT III.

De cognitione Dei.

Fidei principium ita fuit; sequuntur
 gradus fidei. Gradus fidei est, distinctio ob-
 jecti credibilis, de quo Christianus informa-
 tur.

Suntq; tres. 1. Cognitio Dei, 2. Angelo-
 rum, 3. Hominum, Cognitio Dei est primus
 gra-

gradus de Deo cognoscendo (juxta revelati-
onem. Ps. 36, 10. Ps. 103, 7. & 147, 18. Matt.
II, 27.)

Est q̄, vel Dei in se, vel extra se.

Cognitio Dei in se, est de essentia & attri-
butis Dei: vel etiam de personis, in Dei una
essentia.

I. Quid est Deus in essentiâ?

Deus est essentia ineffabilis, spiritalis,
aeterna, intelligens, verax, bona, justa casta,
misericors, benefica, liberrima, immense sa-
pientia & potentia, alia à creaturis omni-
bus; Pater aeternus, qui filium suum, imagi-
nem suam ab aeterno genuit, & Filius imago
Patris coeterna; & Spiritus Sanctus à Pa-
tre & Filio procedens; creator, conserva-
tor, redemptor, & sanctificator omnium. Job.
4, 24. Deus spiritus est.

(Præsupponitur Dei existentia, quæ probatur
(1.) Ex libro naturæ, Rom. I, 18. 19. Ps. 19. Cæli
enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus
annuntiat firmamentum. Esai: 40, 26. Sirac. 43,
II. Actor. 17, 26. c. 14, 17. & (2.) libro scripturæ
ipso.)

Est autem una numero essentia. Deut. 6,
4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Je-
hova

hova unus est, Esa. 44. 6. Ego primus, & ego novissimus, & ab: q; me non est Deus, 1 Cor 8, 4. Nullus est Deus alius, nisi unus 1. Tim. 2, 5. *Vnus Deus.*

2. Quidnam Dei attributa?

Dei attributa sunt ea, quae Deo essentialiter tribuntur, ut: Sapientia, aternitas, omnipotentia &c.

(Non accidentia, contra Socin: novos)

*Sunt q; I. quaedam propria, quaedam figurata, ut, cum Deo nomina membrorum, manus, oculi, pedes tribuntur. Hinc vers. Nomina membrorum, membrorum effecta no-
rabunt (Contra Anthropomorph.)*

*II. Incommunicabilia vel Communica-
cabilia, Illa sunt, simplicitas, infinitas, Psal.
139. v. 1. aternitas Ps. 90, 1. immutabilitas
Malach. 3, 6. Communicaabilia sunt, Vita, sci-
entia, Veritas Dei, Bonitas, Gratia, Amor.*

*III. Affirmativa vel negativa. Illa v. g.
Deus aternus, omnipotens: Hac v. g: Deus
non corporeus, non mortalis, &c.*

*Sic fuit Essentia Dei; Personæ sequun-
tur, in quibus notanda, Numerus, distinctio
& descriptio sive constitutio.*

3. Quis

3. Quis est numerus personarum?

Est ternarius: Nam Pater, Filius, Sp. sanctus est unus ille Deus. *Matt. 3. Voce pater, Natus corpore, Flamen ave. Joh: 16, 13.* Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso: sed quæcunq; audiet, loquetur, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia, quæcunque habet pater, mea sunt, *1. Joh. 5, 7.* Tres sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et hi tres unum sunt. (*contra Socin:.*)

4. Quæ Personarum distinctio, & descriptio?

Est, quâ persona à personâ distinguitur. Estq; hæc vel generalis, vel specialis.

Generalis hæc est: *Pater est prima persona, gignens ab eterno Filium.*

Filius est secunda persona ab eterno genita à patre ineffabiliter, Ps: 2. 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Mich. 5, 2.

Egres-

Egressus ejus ab initio, à diebus seculi,
 Heb. 1. 3. Character (filii) substantiæ
 ejus: (patris)

*Spiritus S. est tertia persona à patre &
 filio procedens. Distinguuntur ergo operi-
 bus. 1. ad intra, ἀγεννησία, Pater non est ge-
 nitus: γενέσθαι, filius est genitus: ἐκπαρεῖσθαι
 Spiritus sanctus à patre & Filio procedit.*

2. Ad extra. Pater creatione, Filius re-
 demptione, Spiritus S. sanctificatione. Ha-
 rum personarum ὁμοσιαν, comitatur 1. pe-
 richorelis personarum, quâ Filius est in Pa-
 tre, & Pater in Filio Job: 14, 10. Non cre-
 dis, quòd ego in patre sum, & pater in me?
 v. 11. Credite mihi, quòd ego in Patre sum,
 & pater in me.

II. Ordo operationum: Nam pater per
 filium & Spiritum sanctum operatur, non
 ut per instrumenta, sed ut suam Sapientiam
 & virtutem sibi: συνέργως.

CAPUT IV.

De Filio.

Generalis consideratio personarum ita fu-
 it:

it: sequitur specialis, personæ Filii & Spiritus sancti: Vtriusq; notanda est Deitas, & personalitas.

1. Quomodo probatur Deitas Christi?

Probatur 1. à nomine Dei: Johan. 1. v. 1. Deus erat verbum. Rom: 9. v. 5. Ex patribus est Christus, secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. 1. Tim. 3, 16. Magnum est pietatis sacramentum, quod Deus manifestatus est in carne. 1. Joh. 5, 20. Hic est verus Deus, & vita æterna. Domini: Malach. 3. v. 1. Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis. Domini dominantium: Apoc. 17, 14. c. 19, 16. Iehovæ: Esai: 6. 1. Conf. Iob: 12. 41. Es. 40. 3. Vox clamantis in deserto: parate viam Domino. Conf: Psal: 68. 19. cum Eph. 4. 8.

2. Ab Effectis divinis: Creatione Iob: 1. v. 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Conf: Col: 1, 16. Conservatione rerum omnium. Coloss: 1, 16. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt,
&

& ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant. *Iohan: 5, 17.* Pater meus usque modò operatur, & ego operor. *conf: Hebr: 1. v. 3.* [*contra Iulian: Arian:*] *Miraculis.* *Ioh: 14, 11.* Credite mihi, quia ego in patre & pater in me est, fin minus, propter opera credite mihi *Matt: 11. v. 4.* *Luc: 9, 1. c. 7. 14.* *Act: 3. 6. c. 4.* 10. Gratia operibus: *Matt: 28, 19.* In nomine (Iesu) filii baptizamur.

3. *Attributis divinis. Est enim eternus.* *Ioh: 8, 58.* Antequam Abraham fieret, ego sum *Ioh: 17, 5.* Glorifica me, tu pater, apud te ipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus fieret, apud te. *Omniſcius: Ioh: 21, 17.* Domine, tu omnia nôsti. *confer. Ioh: 2. v. 25.* *Matt: 9, 4.* à Cultu divino. *Ioh: 5, 23.* Ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. *Heb. 1, 9.* cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei, *Rom. 14, 11.* Vivo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua

B

con-

confitebitur Deo. *Ioh: 14. 1. Creditis in Deum, & in me credite, [Rom: 3. 26. (Contra V. & N. Socinianos, & Photin: Arianos, Eunomianos.)*

2: Quomodo Christi personalitas probatur?

Ex eo, quod sit distincta à patre persona; quippe ineffabiliter ab eodem generata Ps: 2. 7. Et ut alius à Patre, distinguitur personam, qui unum cum Patre essentiam est. Ioh: 10. 10. Ego & pater unum sumus. (Contra Praxean, Sabell: Valent: Gentilem, etc.)

CAPUT V.

De Spiritu Sancto.

Persona Filij sic fuit: sequitur Sp. sancti, in quo notanda 1. Deitas 2. Personalitas.)

1. Q. Deitas Spiritus sancti quomodo probatur? R. 1. *Anomine Dei & Iehovæ, ipsi attributo, 2. Sam: 23. 2. Spiritus Iehovæ locutus est per me, & sermo ejus factus est per linguam meam. Conf. Esai: 6. 9. cum Actor: 28. 24. Esai: 63. 10. cum Actor: 7. 51. Actor: 5. v. 34. Cur implevit Satanus cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto? Non*

es

es mentitus hominibus, sed DEO, 1. Cor: 12. 6. Deus efficiens omnia in omnibus v. 11. Spiritus dicitur.

2. *Ab effectis divinis* Ps: 33. 6. Verbo Domini cœli formati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum Psal. 72. 18. Dominus solus mirabilia facit. 1 Cor. 12. 4. Divisiones gratiarum (sunt) sed idem spiritus est Esa: 48. 16. Dominus Iehova mittit me, & spiritus oris ejus. Actor. 20. 28. Spiritus constituit Episcopos, regenerat Ioh: 3. 5. Rom: 8. 11. Spiritus vivificabit corpora nostra.

3. *Ab attributis divinis*, Psal. 139. 7. Quò ibo à spiritu tuo? Heb: 9. v. 14. Christus obtulit se per Spiritum æternum. 1 Cor: 2. 10. Omnia scrutatur Ioh: 14. v. 26. omnia docebit & suggeret vobis omnia; & 4. *à cultu divino: nam credimus in eum.* In Symb: Conf. Ierem: 17. 5. Baptizamur in nomine Sp. sancti Matt: 28. v. 19. Iuramus in Spiritu Rom: 9. 1.

(Contra Servetum, Macedon: Campanum, Anab: Socinistas,)

2. Quomodo Sp. sancti personalitas? Probatur

1. Ex ijs, quæ iam pro Deitate Sp. sancti attulimus, argumentis.

2. A processione Sp. sancti, à Patre & Filio, ineffabili (Contra Scholasticor: tri- cas & Grecos) Iob: 15, 26. Hinc Gal: 4, 6. Spiritus Filij dicitur Spiritus DEI: 1. Cor: 2, 12.

3. A patefactione personali Matt: 3. v. 16. in baptismo Christi. Vidit cœlos aper- tos & Spiritum DEI descendentem qua- si columbam & venientem super ipsum (Christum.)

4. A facultatibus personæ, quæ sunt in- telligere, velle, similiter Sp. sancto attribu- tis 1. Cor: 2. 10. c. 12. v. 11. Distribuit (Spi- ritus) prout vult.

(Igitur non est vis sola, sed persona. Cont. Socin: Phot: Samosat: Servetum.)

CAPUT VI.

De Operibus Dei in genere.

Cognito DEI in se, quoad essentiam & personas ita fuit: sequitur eiusdem cognito extra se, in operibus, quibus se humano gene- ri,

ri, è luce inaccessâ revelavit. Rom. I. v. 18. 19. seq. Opera hæc in genere, & in specie considerantur.

Quotuplicia sunt DEI opera?

1. Quaedam sunt ad intra (Vide cap. 3. sub fin:) quædam ad extra.

2. Alia naturæ v. g. Creatio, Providentia. alia gratiæ, alia gloriæ: illa imperfecta non nunquam, ex parte nostræ infirmitatis: hæc perfectissima v. g. Renovatio nostræ imperfecta est & c. ut suo loco videbimus.

3. Alia Personalia & certo modo Occonomica v. g. cùm pater de cælo clamat Mat. 3. v. 17. cùm in certo termino residet actio, alia verò essentialia, quæ tribus personis communia sunt: alia mixti generis, ut incarnatio, quæ inchoativè est communis tribus personis; terminativè solius est Filii, ut suo loco docebitur.

2. Quænam affectiones operum Dei?

Sunt 1. Justitia, 2. Laudabilitas, 3. Magnificentia, Psal. III. v. 2. Magna opera Domini, explorata omnibus volentibus

bus ea, ps: 33. v. 6. Omnia opera eius
(DEI) in fide. Confer ps: 104. 24. & 139.
14. & 105. 4. Hæc de Operibus Dei in ge-
nere: In specie agendum hæc est de Creatione
& Providentiâ.

CAPUT VII.

De Creatione.

1. Quid est Creatio?

*Est opus externum Dei triumvius, ex vo-
luntate liberrima omnes res ex nihilo, sex
dierum spatio, creantis ad suam gloriam, &
hominum salutem.*

2. Quæ causæ Creationis?

1. Efficiens, Iehova est, Genes: 1. 1. In
principio creavit Deus (Elohim.) cœlum
& terram Conf: 1. Cor: 8. 6. Colos: 1. 16.
Iob: 9. 8. Qui extendit cœlos solus.
(Patri, ut fonti Deitatis, adscribitur, ut
principio Deitatis, non temporali, sed ori-
ginali, non excluso Filio & Spiritu sancto,
Psal: 33. 6. Iob: 33. 4.)

(Non ergò angeli: Cont. Basilidem, Simon: Cer-
don: non duo creatores, contra Manich:
nec mundus est æternus: Cont. Aristot: & al-
ios Paganos, Epicuræos.)

2. Ma-

2. Materia, sunt visibilia, invisibilia, *Coloss: 1. 16. Cælum & terra, Nihil negativum: Heb: 11. 3. per fidem intelligimus, constructum fuisse mundum, verbo DEI, ita ut sint ex non apparentibus facta, quæ videntur. Conf. Ps: 148. v. 5. Rom: 4. 17. Hinc rudis materia illa, ingens quantitate, tenebrosa qualitate, Ps. 33. 7, Genes: 1. 2.*

3. Forma Creationis consistit. 1. in ordine temporis, nempe sextidui, juxta versum: (*Exod: 20. 11.*)

*Lux lucem dat prima, polum altera, terra
terram,
Lumina quarta, animans quinta, sexta
ta hominem.*

(Non igitur in momento: *Cont. Philon: Iudæos, & alios.*)

2. In admirabili distinctione rerum omnium,

3. Ex oratione earundem.

(Deus igitur forma non est rerum creatarum. Nec uno momento omnia Deus creavit.)

4. Finis, 1. *Dei gloria, Ps: 19. 1. Cæli cernunt gloriam: nempe Dei bonitatis, Apoc: 4. 11. potentia, Rom: 1. 20. Sapiencia, Sir: 43. 5. Jer: 51. 15. 2. Hominum salus, (et si homini noceant animalia non nulla,*

ob peccatum) Ps. 115. v. 16. Cœlum cœlum
Jehovæ est: terram autem dedit filiis ho-
minum.

CAPUT VIII.

De Providentia.

Sic fuit Creatio: Providentia sequitur.

I. Quid est Providentia?

*Providentia, est opus Dei æternum, quo
ille omnes creaturas, juxta prænotionem,
propositumq; suum gubernat, ad suam glori-
am, & hominum salutem.*

(Contra negantes eam Epicuræos.)

2. Quæ Causæ?

1. *Efficiens, est Deus, Act: 17, 28. In
ipso (DEO) enim vivimus, & movemur,
& sumus.*

*Instrumentalis, sunt media, quibus Deus
liberè utitur, 1. Sam. 14. v. 6. Non est diffi-
cilè Domino, servare in multis vel pau-
cis.*

(Ergò non est alligatus mediis.)

*Materia 1. ex qua, sunt (1) præscientia
Dei, Act: 15, 18. Deo omnia opera nota
sunt ab ævo. (2.) Decretum prospiciendi re-
bus*

bus. (3) Administratio, quæ conſervatione
 & gubernatione, ſive ordinariâ, ſive extra-
 ordinariâ, (ut in miraculis] continetur,
 Heb. 1. v. 3. Portat omnia verbo potenti-
 æ, Conf. Colof. 1, 17. 2. Circa quam, eſt
 mundus totus, homo, vitaq; Job. 10, 8. acti-
 ones, quæ vel bone, (quas precipit, iuvat)
 vel male, quas præſcit, naturam ſuſtentat,
 permittit, deſerit, punit, metas figit, & bo-
 num ex illis elicit, Genef. 50, 20. Vos cogi-
 tâſtis de me malum, ſed Deus vertit illud
 in bonum, Conf. Job. 1. v. 12. c. 2. 6.

(Non excluduntur vermiculi, aves, Matt. 6, 26.
 contra Ethnicos) Hinc locus de neceſſitate &
 contingentia.

Forma providentiæ, eſt divina ſapien-
 tia, vel actus ille, providentiæ perennis, Act.
 17. v. 28. In ipſo (DEO) vivimus, move-
 mur, & ſumus. Finis. 1. eſt gloriæ, ſapientiæ,
 potentiæ, bonitatis, declaratio, Act. 17, 27.
 Ut quærerent Dominum, ſi palpando eum
 invenirent. 2. Salus hominum, Sap. 11, 24.
 omnium miſereris, quia potes omnia.

3. Quæ affectiones?

1. Immutabilitas à poſteriori; ut Medi-

eu morbum, Astronomus Eclipsin in causis
previdet (vide Epiphani: contra Cajanos)
 (Non igitur absoluta est Contra Calvin: Stoicos.)

2. Gradus, Est enim providentia alia generalis, quæ est rerum creatarum gubernatio omnium. Specialis hominum, specialissima piorum, Extraordinaria, ut in miraculis.

CAPUT IX.

De Angelis.

Sic fuit cognitio DEI, primus fidei gradus
sequitur angelorum, secundus.

I. Quid sunt Angeli?

Angeli sunt spiritus ministratorii, in salutem heredum vite eterna, Heb: 1. v. ult.
 Nonne omnes sunt ministratorii Spiritus: in ministerium emissi propter eos, qui hereditatem capient salutis? (Contra Sadduceos, Actor: 23. v. 8.)

2. Quæ Causæ Angelorum?

Efficiens, est Deus: Coloss: 1. 16. Ps: 102.

4. Qui facis angelos tuos Spiritus: & ministros tuos ignem urentem.

(Tempus creationis eorum non est revelatum.)

Ma-

Materia: ex nihilo creati sunt: (corpora propria non habent,) Forma Angelorum, spiritualitas mera, quâ constituuntur, & differunt ab hominibus actu & potentia constantes, Heb: 2. 16. Nusquam enim Angelos assumpsit, sed semen Abrahamæ. Finis angelorum, gloria Dei Es: 6. v. 3. Effecta: 1. psalmodia, Ps: 103. 20. Benedicite Domini omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius. Es: 6. 3. Iob: 38. 7. Apoc: 4. 8. c: 5. 11. 12. c: 7. 11, 12. 2. λατρεία, cultus, Heb: 1. 6. Rursum, cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. 3. λειτουργία (1) præstanda Deo, Exod: 19. 16. 19. Dan: 7. 10. (2) hominibus, custodiendo Ps: 91. 11. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum) in vita, in morte, Luc: 16. 22. in resurrectione, Matt: 13. 49. Sic Christo. Matt: 4. 11. Luc: 22. 43. Matt: 28. 2. 2. Theß: 1. 7. interviunt. 4. Humilitas erga Christum, Philip: 2. 9. & 10. 5. Executio judiciorum

Dei. Gen. 19, 11. 2. Reg. 19. 35. Act. 12.
23. Apoc. 16, 17.

3. Quæ affectiones?

1. Sapiencia *naturalis, experimentalis,*
Ephes. 3, 10 revelata Dan. 8, 16. c. 9, 22.
2. Potentia (*limitata à Deo*) 2. Thes. 1, 7.
3. Numerus. Dan. 7, 10. Millia milli-
um ministrabant ei, & decies centena
millia assistebant ei. (Ps 68: 18.)
4. Gradus (*incogniti, qui & quales*) Co-
loß. 1, 16.

Contra Pontif. novem ordines.

*Spectant hæc vita, simplicitas, immorta-
litas, Beatitudo, Libertas.*

5. Lapsus (*cujus species incognita*) Vide
lamentob. 8, 44. Iudæ Epist. v. 6. 2. Pet. 2. v. 4

6. Apparitio, *quæ varijs olim modis fa-
cta, (hodie non expectanda c. Pontific.)*

7. Immutabilitas, *ex gratia Dei.* Matt.
22. 30. Sunt sicut angeli DEI.

8. Reverentia, *non verò cultus,* Matt. 4,
11. Apoc. 19. v. 10. Coloß. 2, 18.

Contra angelolatriciam.

4. Quæ Divisio Angelorum?

Boni sunt, vel mali, Boni, qui originem
suam

suam servaverunt. Mali contra, qui originem suam non servarunt, (horum caput est Satan) Iudæ. v. 6. sed ex propriis peccarunt, Ioh. 8, 44.

(Non igitur caput duntaxat angelorum fuit, qui cecidit: Cont. Bellarminum l. 1. c. 9. de Rom. Pontif. sed multi simul. Peccati speciem Scriptura non revelat: non sunt mali creati à Deo: Contr. Manich.)

Effecta malorum sunt 1. tentatio bonorum. 1 Chron. 21, v. 1. 2 Cor. 12, 7. 2. Carnificatio. Iudis 9, 23. 1 Sam. 16, 14. 3. Exercitatio malitie actualis & habitualis in homine. Actor. 5, 3. Satanias implevit cor tuum &c. Ioh. 13, 3. Cum Diabolus jam misisset in cor Iudæ, ut traderet. 4. Insidie ejus, saluti nostræ structæ, Luc. 22, 31. Ecce, Satanias expetivit vos, ut cribraret. (Matth. 13, 25.)

5. Quæ Adjuncta malorum Angelorum?

1. Est pœna rejectionis à Deo in infernum, & regionem sublunarem, perpetua, Eph. 2, 2. cap 6, 12. 2 Pet. 2, v. 4. (non redibunt in gratiam c. Origenem.) Epist. Iudæ v. 6. Angelos, qui non servarunt principatum
(Oris

(*originem*) suum, sed reliquerunt suum
domicilium, in iudicium magni diei a ter-
nis vinculis sub caligine reservavit.

2. Potentia magna (*sed sub Dei arbitri-
o,*) quam tamen exercet in omnia ferè cor-
por. 1. etiam sensus hominis, 2 Cor: 4. 4.

3. Fallacia, 2 Cor: 11. 14. Satanas
transfiguratur se in angelum lucis, Matt:
24. 24. Surgent enim Pseudochristi &
Pseudoprophetae, & dabunt signa magna
& prodigia, c. Actor: 6. 9. 10. 11.

4. Scientia, non absoluta, sed limitata,
collecta è causis varijs. Tantum de Angelis.

CAPUT X.

De Imagine Dei.

Sic fidei gradus secundus in *Angelologia*
fuit. Tertius sequitur in *Anthropologia* quæ
est, de statu hominis quadruplici, doctrina.
1. *Institutionis*. 2. *Destitutionis*. 3. *Restitu-
tionis*. 4. *Glorificationis*. Unde quatuor mem-
bra sunt.

I. Quis est institutionis status?

Est is, in quo homo creatus ad Dei imagi-
nem.

*nem, Est autem imago Dei, hominis cum Deo
conformitas & congrua rectitudo.*

(Non essentia divina ipsa, non corporea; Contr.
Manichæos & Flacianos, non ipsa animæ
essentia.)

2. Quæ Causæ?

*Efficens, Deus est: Gen: 1. 25 Faciamus
hominem ad imaginem & similitudinem
nostram.*

(Non angeli Contra Iudæos:)

*Materia, 1. est subjectum, s. totus homo,
Gen: 1. 26. Adam & cum eo omnes posteri.
Subjectum inhesionis, est anima: perfe-
ctionis, sunt omnes facultates.*

(Contra pugnas Scholasticorum; atque sic natu-
ralis fuit, subjectivè, perfectivè, transitivè.)

*2. Partes imaginis, sunt vel Primariæ,
vel Secundariæ. Primariæ in anima I. Spi-
ritualitas, invisibilitas, immortalitas, Sap:
2. 23. Deus creavit hominem ad immor-
talitatem, & ad imaginem similitudinis
sue fecit illum. Invidia autem Diaboli
mors introivit in mundum.*

*II. In facultate intellectus, notitia Dei,
Col: 3. 10. Induite novum (hominem,) qui
renovatur in agnitionem Dei, secundum
ima-*

imaginem eius, qui creavit illum, *Creatu-
rarum, Gen. 2, 23. & v. 19.*

III. In voluntate, *Sanctitas, Ephes. 4, 24.*
Novus homo secundum Deum creatus
est in iustitia & Sanctitate Veritatis.

Libertas, Gen. 2. 17. Sirac. 15, 14. Deus
ab initio constituit hominem, & reliquit
illum in manu consilii sui. Adjecit man-
data & praecepta sua: si volueris manda-
ta servare, conservabunt te, & in perpe-
tuum fidem placitam servare. Apposuit
tibi aquam & ignem: ad quod volueris,
porrige manum tuam. Ante hominem
vita & mors: bonum & malum, quod pla-
cuerit ei, dabitur illi.

IV. Appetitus. *Ejus rectitudo ad rationem.*

Secundaria pars vel est. 1. In corpore,
Immortalitas & impassibilitas, Sap. 2. v. 23.

(Contr. Pontif. et Photin.)

2. In dominio super omnes res, *Gen. 1.*
27. Dominamini piscibus maris, & vo-
latilibus caeli, & universis animantibus,
quae moventur super terram. 3. In loco,
& commodo habitationis, Paradisi nem-
pe, Gen. 2, 8 seq. 4. in arbore scientiae, &
vite, Gen. 2. v. 9. (Nox

(Non igitur accessorium donum, Contr. Scholasticos, sed naturale fuit.)

Finis 1. gloria patefactionis Dei, bonitatis.

2. Salus hominis, Sap. 2, 24.

3. Quæ affectiones?

1. Amisio hujus imaginis, quoad partes principales, cujus tantum rudera quedam manserunt (1.) in intellectu, principia Theoretica: in voluntate, Practica, (2.) in dominio viri I Cor. 11, 7. super mulierem, (3.) in aliquali dominio super bestias.

2. Restitutio imaginis, de qua in seq.

CAPUT XI.

De Peccato.

Status institutionis sic fuit: sequitur Destitutionis: Destitutio hæc facta est per peccatum, quod consideratur in Genere, vel in specie.

In Genere.

1. Quæ est definitio peccati?

Peccatum est iniquitas. I Ioh. 3. 4. Vel, est omne dictum, factum, concupitum contra legem Dei.

2. Quæ

2. Quæ causæ peccati?

Efficiens prima, *Satan & homo est, ratione & voluntate à Deo deflectens.*

Externa causa, est homo persuadens; vel objectum sensibile, movens, I. Iob: 2. 16. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.

Materia, I. in quâ, est I. Ratio, 2. Voluntas, 3. Affectus hominis. II. Circa quod, est omne illud, quicquid mente vel sensu inordinatè apprehendimus.

Forma peccati est *aversio ipsa*, que in aversione à bono Legis divine & conversione ad malum consistit. (Ierem: 2. v. 13.)

Effectus est I. Boni corruptio, 2. Hominis ad pœnam obligatio, que reatus dicitur. Deut: 27. v. ult: Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus.

Consequentia peccati sunt, I. turpitudine, Gen: 3. 7. 2. Mors Rom: 5. 12. cujus sunt tres gradus. Primus est, Imaginis divine deformatio, vel gratiæ & Iustitiæ Originalis amissio. Secundus est Spiritnalis servitus

virtus (Hinc nulla homini in Spiritualibus est libertas,) Rom: 6. 16. Tertius gradus continet sanitatis, dominii, amissionem, & omnium malorum positionem, Hec de peccato in genere.

In specie peccatum est duplex. Primum, vel à primo ortum. Primum peccatum est lapsus Adami & Eve.

3. Quid est peccatum Adami?

Est Apostasia primorum parentum à Deo, transgressione mandati constans, de non carpenda arbore Scientia boni & mali Gen: 2. 17. Rom: 5. 12. Sap. 2. 23.

4. Quæ Causæ?

1. Efficiens prima, est Satan. Sap: 2. 23. Gen: 3. 1. velatus serpente, 2 Cor: 10. 3. (naturali contra Origenem.) 1. Iob: 3. 8. Apoc: 12. 9. Subordinata, Eva & Adam. Illa inchoando: hic consummando. 1. Tim. 2. 14. Uterq; liberâ voluntate, quâ vitiosâ, & intellectu à Satana depravato, & falso, sub specie boni, adeoq; dubitante de mandato Dei. (Luther: in c. 3. Gen:) (Igitur non est Deus causa peccati hujus; Contra Calvin.)

Hinc

Hinc orta sunt 1. Defectus fidei, 2. Curiositas & verbo discedens, 3. Superbia, 4. Contemptus Dei, 5. Ingratitudo &c.

Materia 1. Ex quâ, est actus apprehensionis fructus vetiti: 2. In quâ, est arbor vetita, Gen. 2, 17. 3. Circa quam, Lex Dei scripta.

Forma, in actu commissionis consistit, vel est παρανομία, in obedientia, Rom. 5. v. 12.

Effectus est vel generalis, vel specialis.

Generalis est status τῆς ὑπερβουλῆς, in quam se & suos posteros protoplasti coniecerunt. Rom. 5, 12. Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Rom. 11. v. 32. Conclusit Deus omnia in incredulitatem, ut omnium misereretur. (Gal. 3. v. 22.)

Specialis est Communis, vel Propria.

Communis est expulsio Protoplastorum è paradiso, Gen. 3. Propria, est viri, & femine. Illius, sollicitudo: hujus, δυστομία Gen. 3, 16, 17. Hactenus peccatum primum fuit: Peccatum ortum est, quod à primo originem trahit: Est ἄρα Originale, vel Actuale.

5 Quid

5. Quid est originale ?

Est horrenda depravatio nature humane
& omnium virium, in carentiâ iustitiæ Ori-
ginalis & innatâ concupiscentia mala con-
sistens, cum eterna damnatione conjuncta
 Rom. 5, 12. Psal. 51. 7. Ecce in iniquitati-
 bus conceptus sum: & in peccatis conce-
 pit me mater mea. Gen. 6, 5. Omne fig-
 mentum cogitationum cordis (hominis)
 tantummodò malum est omnibus die-
 bus. Conf. Iob. 14. 4. Iob. 3. 6.
 (Contra negantes, Pelag. Socin)

Quæ Causæ ?

Efficiens remota, est Adam propagando,
ut commune principium, Rom. 5. 12.

Proxima, parentes. Psal. 51. 7. ex qui-
bus naturali propagine (Contra Pelag.) A-
dami terreni imaginem gerimus, Gen, 5. 3.
 1. Cor. 15. 49. lege divinae iustitiæ, modo in-
 cognito.

Materia 1. in qua, est omnis homo anima
& corpore (etiam Maria, Ieremias, Iohan-
nes contr. Pontif.) Iob. 3. 5. Ephes. 2. 3.
 Rom. 5. 12. 11. Ex quâ, est amissio boni ori-
 ginalis & oppositi mali successio,

For-

Forma, est concupiscentia, & totius hominis pravitas & deformitas, (est privatio composita, quam vocant] & iustitie originalis carentia, (non nuda signis,) Rom: 7. 7. Non sciveram concupiscentiam peccatum esse, nisi lex dixisset: non concupisces: (dicitur originalis) Effectus huius peccati. 1. mors naturæ est, Gen: 2. 17. Rom: 5. 12. mors gratiæ, gloria, (Excipe, nisi fiat remissio per Christum.) 2. Corruptio virium omnium, 1. Cor: 2. 14. c. 1. 18. Rom: 8. 7. 2. Cor: 3. 5. Gen: 6. 5. Intellectus Ephes: 4. 24. 1. Cor: 2. 14. voluntatis Rom: 8. 7. Ephes: 2. 1. Genes: 6. 2 Cor: 3. 5. 1 Cor: 12. 1. & appetitûs, Hinc nulla est libertas virium in rebus spiritualibus. (Contr. Pontificios & Pelagianos) 3- Actuale deniq; peccatum.

6. Quid est actuale Peccatum?

Est iniquitas quævis, cui reatus æternæ & corporalis pœnæ conjunctus est, 1. Ioh. 3. 4. Peccatum est iniquitas.

7. Quæ causæ?

Efficiens per se, est 1. interna, natura corrupta

rupta Matt. 7. 11. Vos estis mali. 2. Ex-
terna, Satanae suggestio & mundi: Matt: 18.
7. Va mundo à scandalis.

(Non Deut: A. Conf. art: 19.)

Per accidens, externa objecta, Rom: 7. 8.

Materia 1. in quâ, est homo totus, animâ
& corpore 2. Circa quam, est, quicquid con-
cupiscitur, vel dicitur, vel fit, contra legem
Dei. Forma, est ipsa à laxia. Effecta, Mors
& pœna corporalis & eterna. Rom: 6. v. 23.
Stipendium peccati mors est.

8. Quæ distributio actualis.

1. In internum v. g. quævis à laxia in cog-
itationibus, affectibus Matt: 15. v. 9. 1 Ex-
ternum, quod in externo facto elucet.

2. Commissionis, quod est actus, legi
DEI contrarij, commissio. Omissionis, a-
ctus, lege præcepti, omisio.

3. Publicum: vel Privatum Hinc scanda-
lum Matt. 18. 7. va mundo à scandalis. 1
Tim: 5. 14.

4. Veniale, quod in renatis est, absq; ple-
no voluntatis assensu, Rom: 7. versu penult:
Mortale contra, quod est in irrogenitis, cum
pleno voluntatis assensu.

5. Ro-

5. Remissibile ; vel irremissibile, ut
 peccatum in spiritum S. quod est agnita & in
 conscientia approbata veritatis Evangelica
 libera abnegatio, cum pertinaci blasphemia
 & finali impœnitentiâ conjuncta. Matt. 12.
 v. 32. Quisquis locutus fuerit adversus fi-
 lium hominis, remittetur ei, Quisquis au-
 tem locutus fuerit adversus Spiritum san-
 ctum, non remittetur ei, neq; in hoc sæ-
 culo, neq; in futuro. Irremissibile est, non
gratie divine defectu; sed finali mediorum
ad gratiam neglectu. Heb. 6. v. 4. 5. 6.

CAPUT. XII.

De Prædestinatione.

Status destitutionis, in peccato, sic fuit. se-
quitur status restitutionis, de humano gene-
re Deo reconciliando.

Restitutio hæc consideratur generaliter,
 vel specialiter.

Generaliter considerata restitutio, est pro-
 pensio illa Dei, vel sincera voluntas ejus de
 omnibus hominibus, in Christo salvandis,
 (aliàs antecedens dicitur voluntas) Ezech:
 18. 13. Nunquid voluntatis meæ est mors
 im-

impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? *Rom: 11. 32.*

Conclufit Deus omnia in incredulitatem ut omnium misereatur *Conf. Gal. 3. 22.*

Ef: 65. 2. Prov: 1. 24. Matt: 22. 3. Matt: 28. 19. Coloff: 1. 28. 2 Pet: 3. 9. 1 Tim: 2.

4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.

(Contra Calvin. particularem gratiam statuentes, voluntatemque signi & beneplaciti.)

Specialiter considerata tractat de principiis status gratiæ & mediis, & subjecto, cui gratia ista conferur.

1. Quæ sunt principia gratiæ?

Prædestinatio, & Christus.

2. Quid est prædestinatio?

Est gratiæ principium vel actio, quâ constituit Deus ab aeterno, omnes in Christum perseveranter credituros, eligero in laudem gloriæ gratiosæ, & vitam æternam.

3. Quæ causæ Electionis?

1. Efficiens, est (1) beneplacitum & misericordia Dei: *Ephes: 1. v. 5. Prædestinavit*

C

NOS

nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum, in ipsum; secundum propositum voluntatis suæ. 2 Tim. 1, 9. Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia. (2.) *Christi meritum satisfactorium*: Ephes. 1, 4. Elegit nos in Christo, v. 7. In quò (Christo) habemus redemptionem (Non igitur absolutum est decretum, nec excluditur Christi meritum, ut causa: contra Calvin:) (*Aliàs dicitur impellens causa.*) (3.) Irritans causa est miseria hominum lapsorum,

(Non igitur absolutum est decretum prædestinationis: contra Bezam.)

(4) *Instrumentalis, est fides perseverans,* Matt. 11, 23. 2 Tim. 4, v. 7, 8. (Aliis est conditio electionis) Rom. 8, v. 9. Quos præscivit, hos & prædestinavit. 1 Pet. 1, v. 12. Electi juxta præscientiam DEI patris in sanctificatione Spiritus 2 Thess. 2, v. 13. Elegit nos Deus ab initio in salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis.

(Nullus hic est Pelagianismus)

II. Ma-

II. *Materia Electionis ex quâ, sunt homines, Considerati (1) ut lapsi, (2) ut perseveranter credituri* Matt. 15. 24. Non sum missus, nisi ad perditas oves domûs Israel: Ephes. 1. v. 5.

(Non verò homines in prævisione Dei, ut laberentur. Contr. Calvin: qui & ipsi hic sententiis diversis disparantur. Vide Petr: Baron: Jacob: Armin: Oper: Soñium Tom: 2. p. 997. Non angeli: contra Jesuit: & Calvin:)

III. *Forma electionis, est ordo ille, secundum quem Deus eligere constituit. Is verò occupatur in intuitu meriti Christi & fidei.* Ephes. 1. v. 3. 2 Tim. 1. v. 9. 2 Thess. 2. v. 13. Rom. 8. 29. 1 Pet. 1. v. 12.

(Excluditur ergò denuò absoluta electio: contr. Calv. vel planè universalis: Contr. Huber:

IV. *Finis summus, est laus gloriosæ gratiæ Dei, Ephes. 1. v. 6. Subordinatus, vita æterna, Act. 13. 48. 1 Thess. 5. 9.*

4. Quæ adjuncta Electionis?

Adjuncta sunt 1. *æternitas, Ephes. 1. v. 4.*
2. *Certitudo, Immutabilitas, ex suppositione decreti & præscientiæ Dei, quæ non fallitur, Johan. 10. v. 28. Oves meas nemo*

eripiet è manibus meis. (*igitur electi gratiã excidunt temporaliter, non finaliter.*)

Ceterum

Oppositum Electionis, est Reprobatio, quæ est Dei, ut justis iudicis, de condemnandis, finaliter impœnitentibus, decretum, Matt: 25. Ite in ignem æternam, paratum Diabolo & angelis ejus. Jud. v. 4. Præscripti ad iudicium. (impj) Causa ejus, est incredulitas, non naturalis illa, sed contumax, hostilis, & perseverans, Matt: 23. 37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

(Non absolutem decretum; omnes causas antecedens, contra Bezam Vol: 1, tabul: Aphorismis præfixa.)

Sir, 15. v. 11. seq. Non dixeris; per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii. Omne execrumentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum, Osee 13. 9.

Per-

Perditio tua ex te est, Joh. 3. 18. Qui filio non credit, jam condemnatus est: quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei. Confer 2. Theſſal. 1. v. 6. 2 Theſſal. 1. v. 8. ſeq.

CAPUT XIII.

De Redemptione.

Vel

Christo, quo ad naturas, & officium.

Primum gratiæ principium in Prædeterminatione sic fuit: sequitur alterum in Redemptione.

Redemptio, est alterum gratiæ principium, quâ nos Christus suo sanguine redemit à peccato, Diabolo, lege & maledictione Dei, per lytri exhibitionem, 1. Pet: 1. 18. 19. Scitis, quòd non corruptilibus, auro vel argento, redempti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine. utpote agni immaculati. 1 Cor: 6. 20. Empti estis precio magno, nempe DEI sanguine. Act: 20. 28.

I. Quotnam consideranda in Redemptione?

C 3

Resp.

*Resp. Duo: Primum: Quis Redemptor? (vel
Causse): Secundum: Que Redemptionis
partes? (vel materia.)*

2. Quis igitur Redemptor?

*Resp. Est Christus Iesus, secunda persona
Trinitatis, Filius Dei, natus ex muliere in
tempore Gal. 4. 4. genitus à patre ab eterno
Ps. 2. v. 7. homines suo sanguine redimens.
Actor. 20. 28. Suntq; duo hic observanda
I. Naturarum distinctio atq; Unio. II. De-
inde officium.*

3. Quæ est naturarum distinctio?

*Ut dua natura, divina & humana, in
Christo distinguantur, & veritas utriusq;
saris recta conservetur.*

**4. Quomodo Christi humanitas
(nam de eius DEITATE, supra vidi-
mus cap. IV.) confirmatur?**

*I. à nomine carnis, Christo tributo, Joh.
1. 14. Verbum caro factum est. Seminis:
Heb: 2. v. 16.*

*II. A partibus hominis: Christus enim
preditus est animâ, Joh. 10. 18. Matt. 26. 38.
vel spiritu, Luc. 23. 46. corpore, Heb. 2. 14.
intellectu Luc. 2. 52. & voluntate cum ap-
petitu naturali, Matt. 26. 39.*

III

III. Ab affectionibus humanis (quia esurivit, sitiit, fatigatus est) sine peccato assumptis. Haecenus naturarum distinctio.

5. Quid est naturarum Unio?

Unio duarum naturarum, est citra Controversiam magnum pietatis mysterium, quo homo Deus est, & Deus homo, per humanitatis ineffabilem assumptionem in subsistentiam ἰσὺ λόγῳ, sic, ut ex duabus naturis una fiat indivisaq̄, sine naturarum confusione, persona. 1. Tim. 3, 36. DEVS manifestatus est in carne. Joh. 1. v. 16. Verbum caro factum est. 1. Tim. 2, 5. Unus est mediator DEI & hominum, homo Christus Jesus. Hebr. 2. v. 16. Non Angelos, sed semen Abrahamæ assumpsit.

(Igitur non est 1. externa combinatio, 2. Non unio parastatica, qualis est duorum asserum, 3. Vel Nestoriana conjunctio, 4. nec ullus alius unionis naturalis modus; mysterium est: contra Socin.)

6. Quæ hujus Unionis Effecta & Conseq?

Sunt duo: I. Naturarum communio, quæ est consequens Unionis, ex quo homo est

Deus, & Deus homo, personaliter & realiter v. g. Jerem. 23. 5. Germen Davidis est Jehova. Matt. 26. 16. Filius hominis est filius Dei altissimi Rom. 1. 3. Filius Dei ex semine David.

II. Est idiomatum communicatio realis: est q̄q̄ divinorum idiomatum ad communem usurpationem, possessionem, & denominationem participatio in hypostasi, carni Christi facta, v. g. vitam dare mundo est Deitatis idioma; carni Christi tamen fit commune, ut hæc vitam det mundo, non tantum merito, sed & efficaciam. Ioh: 6. 27. Sic & de aliis. Sunt vero distincti hujus communicationis gradus vel genera.

7. Quod est primum genus?

Primum est earum propositionum, quarum subjectum est nomen persone Concretivum; Predicatum est proprium natura nominis, in eadem persona v. g.

Filius Dei natus est ex semine Davidis, Rom. 1. 3. Deus redemit suo sanguine Ecclesiam, Act. 20. 28. 1. Joh. 1. 1. Verbum vite oculis conspectum.

8. Quod

8. Quod secundum genus?

Est earum propos: quarum subiectum est nomen personae & officii; praedicatum est ἀποτέλεσμα vel effectum ad Christi officium pertinens, v. g. 1. Ioh: 3. 8. Filius Dei destruit opera Diaboli. Gen. 3. 16. Semen mulieris conteret caput serpentis. 1. Tim. 2. 6. Homo Christus se dedit precium redemptionis.

9. Quod Tertium?

Earum propos: in quibus subiectum est nomen naturae humanae, sive concret: sive abstractivum; Praedicatum est caelestis prerogativa vel donum infinitum, v. g. Ioh: 5. 27. Pater dedit filio hominis, Judicium facere, potestatem confer: Dan: 7. 14. Heb. 2. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius Joh. 6. 51. Ego sum panis vivus: vivificandi vis, 1 Ioh: 1. 7. Sanguis Jesu Christi, filii Dei, emundat nos ab omni peccato. Matt. 8. 20. Ubicunq; duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Haetenus persona Christi fuerat: sequitur officium Redemptionis.

10. Quid est Christi Officium?

Est, cuius gratiâ venit in mundum, ut nempe salvaret populum à peccatis Matth. 1. 21. 1 Tim. 1. v. 15. Huius officii duo attendenda: Efficiens, & Materia.

11. Quænam efficiens officii Christi?

Deus vocans hunc filium solenniter, Ps. 110. v. 4. Et ipse λόγος sese demittens humiliter, Psal. 40. v. 8. De utrâq; Esa. 53. 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. (vocatur aliàs hæc, vocatio, missio, Joh. 3. 17. Obsignatio, Joh. 6. v. 27: unctio, sanctificatio, donatio, precognitio, 1 Pet. 1, 20.

12. Quæ materia officii?

*Sunt partes tres officii. Prima est Prophe-
tia. Altera Sacerdotium. Tertia Regnum.*

Prophetia est prima pars officii Christi, nos docentis perfecte Dei voluntatem, Joh. 1. 18. Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Conf. Heb. 1. 1.

Sacerdotium est secunda pars officii, constans in legis custodia, placatione nostrâ

strâ

stri per corporis proprii sacrificium & orationem. Heb. 7, 16. 17, 18. 19. Coloss. 1, 20. Rom. 5, 10. Ps. 110. v. 4. Tu es sacerdos in æternum, juxta ordinem Melchisedech. Rom. 8. v. 34. Christus ad dexteram Patris interpellans pro nobis. Regnum Christi est 3. pars officii, quâ cuncta ad hominum salutem administrat, Ps. 2, 6. Dan. 2. 44 Est q̄ hoc regnum (respectu quantitatis) universale omnium seculorum, creaturarum, (qualitatis) spirituale, Rom. 14, 17 Vitam mortemq̄ eternam dispensans, Apoc. 1, 18. (non mundanum, Job. 18. v. 36.) gratia, vel gloria.

CAPUT XIV.

De Christi statibus.

Christi ut redemptoris persona & officium ita fuit: Sequuntur partes redemptionis dua, Humiliatio & Exaltatio.

I. Quid est humiliatio?

Est prima pars redemptionis, quâ Christus habitu inventus, ut homo, Deo obediens factus est ad crucis mortem, Phil. 2. v. 8.

Suntq̄ hujus humiliacionis notanda finis & partes.

2. Quis est finis humiliationis?

Satisfactio, quã compensavit Christus injuriam, Deo per peccata impãctam, summam justitiam summã gratiã temperanti, Rom: 5. v. 15. & 17. (v.g. Rom: 3. v. 25. Christus placamentum per sanguinem præstitutus legitur: nobis mortuus: Rom: 8. 34. peccatum factus, 2. Cor. 5. 21. peccata portans, Esa. 53. 4. ut sponsor, Hebr. 7. 22. victima, Ephes. 5. 2.)

3. Quis hujus satisfactionis gradus & sufficientia?

Resp. Hec patet 1. in persona offerente, qui Deus, Act: 20. 28. 2. in dignitate rei oblatae, Deus enim oblatus est morte, 3. in modo offerendi, cui perfectio divina insuit, ratione unionis hypostaticæ.

4. Quæ partes humiliationis?

Vita & Mors. Vita rursus dua sunt partes: Prima Conceptio virtute Altissimi, obambantis Mariam, effecta, Es: 7. v. 14. Luc: 1. 35. Secunda Nativitas ipsa pauperissima, verissima, Luc. 2. Huc spectat 1. Circumcisio Christi. 2. Subjectio erga parentes.

res. 3. Baptismus & tentatio, 4. Vitæ
reliquæ per labores transactio.

5. Quid mors Christi?

Ultimus humiliationis actus, quo volens
animam deposuit. *Ioh. 10. v. 11. constante*
horribili sensu iræ Dei, & privatione gau-
di spiritualis, quoad actum & sensum. Ioh:
12. 27. Matt: 26. 46. ut pro nobis fieret ma-
ledictum, Gal: 3. 13. expirans animam, &
morti se ad tertium usq³ diem tradens, A-
ctor: 2. v. 24.

Humiliatio fuit: Exaltatio sequitur.

6. Quid est Exaltatio?

Exaltatio Christi est altera pars redem-
tionis, quâ Christus gloriam suam introiit,
Luc. 24. v. 26. Nonne hæc oportuit pati
Christum, & ita intrare in gloriam suam?
Coloss. 2. 15. Exspolians principatus, &
potestates, traduxit confidenter trium-
phans illos in se ipso.

7. Quot sunt gradus Exaltationis?

Exaltationis tres sunt gradus: 1. Resur-
rectio à mortuis, est primus gradus exalta-
tionis, juxta quem, se Christus excitans, &
animam rursus assumens, sepulchro exiit
tertio

tertio die, Joh. 2. 19. ad nostri justificationem,
 & resurrectionem. Rom: 4. 25. Suscitatus
 ad nostri justificationem, 1. Cor. 15. 23.
 In Christo omnes vivificabuntur. Cum hoc
 proximè coheret Christi ad inferos descen-
 sio, quâ se victorem ostendit Spiritibus ino-
 fernalibus: Ose. 13. 14. Ero mors tua, ô
 mors, morsus tuus ero, inferne, 1 Petr. 3.
 v. 18. 1. Cor. 15. 54. 55. Coloss. 2, 15. (Tem-
 pus & modum scriptura non determinat.)

II. Gradus est ascensio in cœlum, quâ
 die 40. Christus à monte oliveri, in cœlum
 receptus est, longè suprâ omnes cœlos ascen-
 dens, ut nobis locum pararet, & dona spiri-
 tus Sancti mitteret. Actor. 1. v. 3 & 11. Re-
 ceptus est (Jesus) in cœlum. Joh. 14, 3. Va-
 do vobis parare locum: Joh. 15, 7. Si abie-
 ro, mittam paracletum ad vos.

III. Gradus est Sessio ad dexteram pa-
 tris, quâ ad eam evedtus est, & regnat in
 medio inimicorum, & pro nobis compa-
 ret coram Deo, Psal. 110, v. 2, 1 Cor. 15.
 25, Hebr. 9. v. 24.

De vocatione Dei ad salutem.

Haecenus principia duo salutis fuerunt, nempe Electio & Christus: sequuntur nunc media huius salutis, & offerenda, & applicanda. Duo his sunt tenenda: 1. Mediorum definitio, & 2. Divisio.

1. *Quid sunt media salutis?*

Media salutis applicanda sunt actiones Dei, eiusdem decreto subordinatae, quo in regno gratiae, beneficia per Christum parata, hominibus actualiter offert, atq; applicat.

2. *Quotuplicia?*

Resp. Quoddam, est voluntatis antecedentis actio sive medium gratiae offerendae: quoddam, verò voluntatis consequentis, sive gratiae conferendae: quoddam, verò obsequanda.

1. *Quid est vocatio?*

Voluntatis antecedentis medium est vocatio Dei, quâ Deus ex merâ gratiâ omnes homines serio vocat ad regnum Christi, gratiam offerens, ut cum eo unum fiant, Coloss. 1. v. 12. Ephes. 1. v. 9.

2. *Causae*

2. Causæ quænam vocationis?

I. *Principalis: Deus est, 1 Cor: 1. v. 26. 27. serio & efficienter vocans, Impellens: misericordia, interne: 2 Tim: 1. v. 9, nostra miseria, externe 1 Pet: 2. v. 9.*

II. *Instrumentalis, est verbum, vocans ad salutem fertò: Estq; obliquum, vel directum.*

Obliquum est Lex, Pædagogus ad Christum, ex quâ cognitio peccati: Rom. 3. 20. Per legem agnitio peccati, Directum est Evangelium, quod est letum de remissione peccatorum per promissiones oblatas nuncium (strictè acceptum) Act: 26. v. 17. 18. Te mitto, ut aperias oculos populorum, ut se convertant à tenebris ad lucem, & à potestate Satanae ad DEUM.

Materia est, vel ex quâ vocationis: cuius⁹ due partes; Christi oblatio, & oblatis acceptatio, Johan. 1. v. 11. In sua venit, & sui eum non receperunt, 1. Corinth. 1. v. 23. Prædicamus Christum, Dei potentiam, ac Dei sapientiam, Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos.

Masso.

Materia circa quam, sunt omnes homines
(Est enim vocatio DEI universalis. Marc:
16. v. 15. Prædicate Evangelium omni cre-
aturæ, Coloss. 1, 6. 2, 3. Fructificat Evange-
lium sub toto cælo, Matt. 28. v. 19. Docete
omnes gentes, Ps. 19 v. 6. In omnem ter-
ram exivit sonus eorum, & in omnes fines
terræ loquela eorum) etiam pauperes, I
Cor. 1. v. 27. seq. Iacob: 2. v. 25.

Forma vocationis consistit in dispensatio-
ne fœderis duplici, una sub V. Testamento,
altera sub N. Testamento, de utroq; cap.
seq: agendum.

Finis, est 1. gloria DEI. 2. nostra salus.
Col. 1. v. 13. Eripuit nos à potestate tene-
brarum. 1. Cor. 1. v. 9. Vocati estis in com-
munionem Filii ipsius: (Gal. 1. v. 6. Ephes.
1. v. 11. Coloss. 3. v. 15. 1. Thessal. 2. v. 12.
1. Petr. 5. v. 10. confer.)

3. Quænam effecta Vocationis & consequentia?

Effecta vocationis varia sunt: oblatio &
communicatio beneficiorum DEI. 1 Petr: 2. 9.
DEI. 1. Petr. 2. 9. Deus vos è tenebris vo-
cavit in admirabilem suam lucem.

4. Quæ

4. Quæ Affectiones vocationis?

1. *Respectu quantitatis, vocatio est universalis.* Matth. 28. v. 19. Docete omnes gentes: Marc. 16. v. 15. Prædicate Evangelium omni creaturæ, v. 20. In omnibus locis prædicarunt, Coloss. 1. v. 23. Prædicatum est Evangelium omni creaturæ, quæ sub cælo.

2. *Qualitatis, vocatio est seria, non simulata.* Esa. 65. Tota die expandi manus meas ad populum incredulum, Matt. 23. Jerusalem: quoties volui congregare filios tuos: & tu noluisti, Luc. 7. v. 30. Spreverunt Pharisei consilium DEI, adversum semetiplos.

(Contra Calvinianos.)

CAPUT XVI.

De vocatione in specie.

Vocatio, absolute considerata, sic fuit: Sequitur eadem relate considerata vocatio, que solet dici, foedus, vel Testamentum, vel pactum, pactio.

L. Quid est DEI foedus vel Testamentum;

Testa-

Testamentum vel fœdus DEI, est vocatio hominum relata sive pãctio ad participanda bona cœlestia, certã interpositã conditione, ad DEI gloriam, & hominum salutem æternam.

2. Quotuplex est Dei Testamentum?

Duplex est: *Vetus, & Novum*: Hebr: 7. 22. Rom. 9. 4. 2 Cor. 5. 6. Hebr: 12. 24. c. 8. 7. 8. *Vetus Testamentum* est pãctio, bona æterna promittens, sub conditione perfectæ obedientiæ, ex propriis viribus præstandæ, legi divine. Exod. 24. 6. 7. 8.

3. Quæ Causa V. Testamenti?

Efficiens principalis, DEUS est: Exod: d. l. *Ministerialis, est Moses*. Exod. 24. 6. seq: Gal: 3. 9. 10. *His accensentur angeli, Majestatis divine tubicines*. Exod: 19. 19.

Materia, sunt promissiones legales, de donandã vita æterna: Ezech: 20. 11. Levit: 18. 5. Matt: 19. 7. Luc: 18. 18. (non solis corporalibus bonis. c. Socin.)

Forma, consistit in mutuã pãctione Dei, promittentis sub conditione perfectæ obedientiæ, actu aspersionis sanguinis figuratã, Exod: 24. ¶ Finis V. Testamenti & effecta,
sunt:

*sunt. I. Pædagogia ad Christum. Gal. 3, 24.
II. Phylaxia vel custodia ad eundem. Gal. 3. v.
23. Hebr. 8. v. 9. 10. III. Occisio. 2. Cor. 3.
6. Rom. 7. v. 7, 8. seq.*

4. Quæ adjuncta?

1. *Vetustas literæ. 2 Cor: 3. 6. 7. quæ op-
ponitur novitati Spiritus.*

2. *Imperfectio Hebr: 8. 7. 8. ratione ty-
porum, & umbrarum: Hebr. 9, 9. Dona sa-
crificiaq; non possunt in conscientia san-
ctificare cultorem.*

3. *Servitus. Gal. 4, 24. Una (pactio,) quæ
est Hagar, ex monte Sina, generans in ser-
vilitatem.*

5. Hactenus de V. Testamento. Quid verò Novum est?

*Novum Testamentum est vocatio homi-
num ad salutem, sub conditione fidei in Chri-
stum, de remissione peccatorum. Genes: 3. 15.
cum Gal. 3. 16. Genes: 15. 6. cum Rom: 4.
2. Gal: 3. 6.*

6. Quæ causæ Novi Testamenti?

*Efficiens principalis, Deus est, ration decre-
ti, & complementi, Rom: 1. 3. I Pet: 1. 10. 11.*

Impellens internè, est Dei eudoxia, Ephes:

1. s. Externè, hominum miseria. Rom: 8. 3.
 Instrumentales, sunt in V. T. Patriarchæ,
 Propheta, Sacerdotes. Actor: 10. Huic Iesu
 testimon: & c. In N. T. Apostoli, Evange-
 lista, Eph: 3. 5.

Materia Evangelij, sunt promissiones,
 quæ vel absolutæ, v. de Christi missione, ad-
 ventu, passione, vel conditionales, quæ si-
 dem ut instrumentum includunt, (non præ-
 cepta, non bona solum temporalia, contra
 Socinianos, & Pontif:)

Forma Evangelici fœderis, est in promissio-
 num qualitate, & quantitate.

Qualitas est, quâ hæ promissiones gratui-
 te sunt, respectu nostrorum operum, (non
 meriti Christi, cui carè constiterunt.)

Quantitas, quâ promissiones hæ sunt u-
 niversales.

De voluntate Dei, velle eum omnium ho-
 minum salutem, (vide supra cap. 14.)

Finis Evangelici fœderis, est Dei gloria:
 Hominum salus, Act: 4. 12. Non est in
 alio quoquam salus: Hebr. 9, 15. Ob id novi
 Fœderis mediator est, ut morte interce-
 dente, ad redemptionem earum prævari-

cationum, quæ fuerunt sub priore Testamento, vocati promissionem accipiant æternæ hereditatis.

7. Quæ adjuncta?

1. Gradus Evangelici fœderis in V. T. considerantur, ratione patefactionis, quæ est vel ante diluuium. Genes. 3. 16; vel post diluuium sub Patriarchis, Abrahamo, Isaaco, Regibus, Prophetis. 1 Pet: 1. 10. vel post ipsum Christum exhibita, & ab eo repetita, Heb: 8. 8. Gal: 3. v. 16. 17,

2. Gratuitum est fœdus, (nostra, non Christi merita, excludens.)

3. Præstantius: Hebr: 8, 7. Nunc (noster ille Pontifex) excellentius sortitus est ministerium, quo præstantioris est fœderis intercessor, quod in præstantioribus promissis sancitum est.

8. Quænam est utriusq; V. & N. Testamenti convenientia, & differentia?

1. Convenientia est in causâ efficiente, principali, utriusq; n: autor DEUS est; Fine ultimo, qui est utriusq; perfecta iustitia; objecti universalitate: *Ve enim lex omnes*

omnes homines, vel ad pœnam vel obedientiam obligat. Rom: 3. 19. Sic Evangelium omnibus hominibus in Christo gratiam offert. Act: 17. 30. Et deniq; duratione: *Utrumq; n durabit ad finem mundi.*

II. Differentia V. & N. Test respectu quantitatis, & qualitatis. Ratione quantitatis: *Novum n. Testamentum non est alligatum ad unum populum, sed omnibus offertur hominibus. Act: 17. 30. Deus nunc annunciat omnibus hominibus, ut resipiscant. Ratione qualitatis: nam V. T. umbris involutum erat, & spiritum servitutis habebat. Novum verò & clarum est, & spiritum libertatis promittit. Hebr. 10. 1. Lex umbram obtinens futurorum. Coloss. 2. 17. 2 Cor. 3. 9. Ministerium Justitiæ abundat in gloria. Rom. 8. 15. Non accepistis spiritum servitutis ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis. conf. Gal. 4. 5. Act. 15. v. 11.*

CAPUT XVII.

De Pœnitentiâ.

*Hactenus medium salutis, voluntatis an-
recedentis in DEO, in gratiæ oblatione
fuit.*

fuit, nempe vocatio: Sequuntur media voluntatis consequentis, in gratiæ collatione. Horum duo sunt genera. Primum est eorum, quæ opponuntur nature corruptæ, vel reati eternæ mortis.

Medium corruptæ nature oppositum, est Pœnitentia, vel Conversio.

I. Quid est Pœnitentia?

Pœnitentia, vel Conversio, est primum Medium corruptæ nature oppositum, quo peccator corde contrito ex lege, & humiliato, per fidem in Christum, ad Deum convertitur, & spiritualiter regeneratur, (alias Regeneratio dicitur:) cognata hæc sunt Iustificatio & Renovatio.

2. Quæ Causæ Pœnitentiæ?

I. Principalis Efficiens, & volens conversionem, DEUS est, Ezech. 36. v. 26. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo carnem. Jer. 31, 18. Convertite me Domine, & convertar. Ezech. 18, 31. Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris; & non erit vobis in ruinam iniquitas. Causa impellens interna, est gratia Dei & Christi meritum: externa, hos

hominis miseria, Instrumentalis, est verbum predicatum, Act: 25. 17. 18. Mitto te aperire oculos eorum (populorum,) ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satanae ad DEUM, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me. (Christum.) Spectant huc quoq; Sacramenta, de quibus suo loco.

2. Materia circa quam, ex intentione Dei est omnis homo: culpa verò hominum fit particularis: (vel subjectum in quo, respectu mentis, voluntatis & cordis, quæ hic semere passivè habent.) Ioh: 1. v. 5. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. 1 Cor. 2. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI. Stultitia enim est illi, & non potest comprehendere. 2 Cor. 3. 5 Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est. Gen. 8. v. 21. Sensus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ confer. Jer. 17. 9 Ezech. 11, 19.

36. Ephes: 4. 17. (Contra vires liberi arbitri
Pelag: Pont:) Ex quâ sunt partes duæ: nem-
pe Fides, & Contritio, quam nova obedi-
entia sequitur. Marc: 1, 15. Resipiscite, &
credite Evangelio.

Contritio est prima pars pœnitentiæ, in
sensu iræ Dei, & dolore cordis, per legem ex-
citatis, consistens. Psal: 51. 5. Iniquitatem
meam ego cognosco. v. 18. Cor contritum,
& humiliatum Deus non despicias: Psal.
38. 5. Iniquitates meæ supergressæ sunt
caput meum: & sicut onus grave gravatæ
sunt super me. Psal. 6, 3. Sana me Domi-
ne, quoniam conturbata sunt ossa mea,
Et anima mea turbata est valdè. Esa. 38. 13.
Sicut Leo, contrivit omnia ossa mea. Psal.
32, 5. Delictum meum cognitum tibi fe-
ci: & injustitiam meam non abscondi: di-
xi: Confitebor adversum me injustitiam
meam Domino: & tu remisisti impieta-
tem.

Fides est secunda pars pœnitentiæ, certâ
fiduciâ in Christi meritum, consistens: Rom:
5, 1. Justificati ergo ex fide, pacem habe-
mus

mus ad Deum per Dominum nostrum.
(*contr. pœnitent. partes pontif: contrit:
confess: satisfact:*)

*Nova verò obœdientia est pars laxè dicta
pœnitentiæ.*

3. *Forma verò pœnitentiæ, in illuminati-
one intellectûs, & voluntatis immutatione
consistit. Ezech. 11. 19. Dabo eis cor
unum, & Spiritum novum tribuam in vi-
sceribus eorum, & auferam cor lapideum
de carne eorum & dabo eis cor carneum.
Hinc due partes pœnitentiæ oriuntur, con-
versio & fides, de quibus dictum.*

*Fit autem hæc mutatio à malo, (hoc est
peccato) ad bonum sive spiritum Ps: 34. 15.
Recede à malo, & fac bonum.*

4. *Finis & effecta conversionis, sunt 1. Dei
gloria & gaudium, Luc: 15. 7. Erit gaudium
in cœlo, super uno peccatore pœniten-
tiam agente, quàm super nonaginta no-
vem justis.*

2. *Remissio peccatorum: Zach: 1. v. 3.
Convertimini ad me: & ego convertar ad
vos.*

3. *Mitigatio pœnarum: Jerem: 18. 7. 8.
Pœnitez mali Dominum.*

3. Quodnam Adjunctū pœnitentiæ?

1. *Tempus omne: omni tempore agenda pœnitentia: 2 Cor: 4. 16. Apoc: 22. 11. Solennius tamen conversionis exercitium fit in confessione, & usu Eucharistiæ.*

2. *Pœnitentiæ intermissio, ex quâ fit, ut etiam renati Sp. Sanctum amittant: Ezech: 18. 26. 1 Tim. 1. 19.*

3. *Procrastinatio ejusdem: Syrach: 5. 8. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

4. *Externa signa, plandus, dolor, lachrymæ: Joel: 2. 12. 13. Ps: 102. 10. Luc: 18. 14.*

CAPUT XVIII.

De Iustificatione.

Medium oppositum naturæ corruptæ, Conversio, sic fuit: sequitur alterum oppositum reatui mortis: Id verò est Iustificatio.

I. Quæ est justificationis Definitio?

Est medium alterum, quo Deus misericors ob Christi meritum & justitiam, hominem pœnitentem ab omni culpâ & reatu mortis æternæ absolvit.

2. Quæ Causæ?

Causæ

Cause efficiens, est solus Deus Rom: 3. 26. Deus justus est, & justificat eum, qui est ex fide Jesu Christi.

Pater largiendo. Job: 3. 16. Sic Deus dilexit.

Filius merendo. Gal: 2. 20. 2 Cor: 5. 18. 19. Es: 53. 4.

Sp. Sanctus ob signando. Rom: 5. 3.

Impellens interna, est Dei gratia, non absoluta. (contra Socin:) non infusa (contra Pontif.) Eph: 2. 8. Gratiâ servati estis per fidem. Externa impellens, est Christi obedientia activa, & passiva, & hominum misericordia: Rom: 3. 24. Justificantur per redemptionem, factam per Jesum Christum, & cæt:

(Ergò non opera C: Pontificios. E. verè satisfecit Christus pro nobis. C. Socinistas.)

Instrumentalis, est velex parte Dei, Verbum, & Sacramenta 2 Cor: 5. 18. Deus nos reconciliavit sibi per Jesum Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. Confer: Luc: 24. 47. Actor: 25. 17. 18.

Velex parte hominum, est sola fides, quæ est lumen in intellectu, & fiducia in corde,

hoc est notitia, assensus, & fiducia, versans
 principaliter circa Christi meritum, (non
 est obedientia, Contra Socin: neq; fides histo-
 rica, vel miraculosa:) non excludens cau-
 sam principalem justificationis, nec ministe-
 riales, sed solum opera nostra, Tit: 3. 4. 5. 6.
 Secundum misericord: &c. Non autem
 Solitaria: Nam vera fides non est absq; bo-
 nis operibus, in articulo Sanctificationis:
 Gal: 5. 6. Fides per charitatem efficax est,
 Iustificat tamen sola, in articulo justifica-
 tionis Rom: 3. 29. Arbitramur: hominem
 justificari per fidem, sine operibus legis.
 confer Rom: 4. 5. Gal: 2. 16. Philipp: 3. 8. 9.
 Materia justificationis, 1. Circa quam:
 Est peccator pœnitens, (non sola anima c:
 Veritas.) 2. Ex qua: Christi meritum. Rom:
 3. 24. Justificantur per redemptionem
 factam, in [per] Jesu Christo.

Forma, est imputatio, quæ est duplex: 1.
 Negativa: cum peccata non imputantur. 2.
 Positiva, cum Christi merita imputantur.
 (non igitur est minime Entitatis contra
 Pontific:) Ps: 32. 1. Beatus homo, cui
 non imputat Jehova iniquitatem. 2
 Cor:

Cor. 5. 19. Deus erat in Christo, reconcilians mundum sibi, non imputando eis peccata ipsorum. Rom. 4. 5. Ei (verò) qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia. Confer. *ibid.* v. 3. v. 11. 23. 24. Gen. 15. 6. Gal. 3. 6.

Finis justificationis, est DEI gloria, & iustificatorum salus perpetua. Rom: 3. 25.

Quem (Christum) proposuit DEUS, ut esset placamentum per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam justitiam suam. Titum 3. v. 7. Iustificati hæredes efficimur, in spem vitæ æternæ. Rom. 8. v. 33. Quis accusabit adversus electos DEI? DEUS (est is,) qui justificat.

3. Quæ effecta justificationis?

Effecta ejus sunt. I. Unio cum Christo, & adoptio. II. Sanctificatio, III Libertas Christiana. De his in seq:

CAPUT XIX.

De Unione cum Christo.

Effectus primus Iustificationis, est Unio nostri cum Christo.

D 4

I. Quid

1. Quid est Unio cum Christo?

Unio nostri cum Christo, est Dei actio gratuita, quâ nos ille unum efficit cum Christo, per fidem, ita ut in ipso simus, & ipse in nobis. Ioh: 6. 56. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

2. Quæ Causa efficiens hujus Unionis?

Tota S. Trinitas, Pater, Filius, Spiritus S. ineffabili vi nos Christo per fidem inserens: Ioh: 17. 21. Omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.

(Hinc communicatio Spiritus sancti dicitur, 1 Ioh: 32. 4. 2. Cor: 13. 13.)

Instrumentalis, est fides respectu nostri, & verbum, & Sacramenta, per quæ habemus communionem cum Christo: (1 Ioh: 1. 3.) Ephes: 3. 17. Per fidem Christus habitat in cordibus nostris.

Materia hujus unionis est nostra natura tota, (non anima solùm, non corpus solùm.) 2 Pet: 1. 4. Maxima nobis & pretiosa promissis.

missa donata sunt, ut per hæc efficeremini
divinæ confortes naturæ.

*Modus & ordo ita se habet. Conjugimur
carni Christi, & per hanc Deitati, Ioh:
6, 5. Ego sum panis vivificus, qui è cælo
descendit, si quis ederit ex hoc pane, vivet
in æternum: panis autem, quem ego da-
bo, caro mea est, quam ego dabo pro
mundi vitâ,*

*Deinde modus planè mysticus, spiritualis,
& cælestis est.*

(Excluditur hic 1. Substantialis immutatio cor-
porum nostrorum in Christi corpus. Contra
VVeigelian: 2. Corporalis (modi respectu)
conjunctio, non spiritualis. 1. Cor. 6, 16, 17. per
fidem & spem, 3. Sacramentalis communio,
cujus instrumenta sunt symbola; Spiritualis
verò per solam fit fidem, 4. Concordia vel con-
sensus voluntatis, hæc siquidem ex illâ fluit.
5. Nec est modus naturalis, nec localis, nec
commixtivus; verus tamen, & realis, quàm ve-
rè panis unitur ad nutritionem corpori, tam
verè caro Christi ad nutritionem animæ.)

*Finis est, vivificatio nostri. Ioh: 6. 51.
Caro mea est panis vivus, quam ego dabo
pro mundi vitâ.*

*Participatio omnium bonorum, unius specie
Spiritus, Sacramentorum. Rom: 11. 17.
Tu cum esses oleaster, infusus es pro ipsis
[Judæis] & consors radicis & pinguedi-
nis oleæ factus es. Adoptio. Joh: 1. v. 12.
Rom. 8. 23.*

*Mutua credentium conjunctio, & Spiritus
sancti testificatio, ex verbo: (Rom: 8. 16.
1 Cor. 10. 17. Unum corpus multi sumus.
confer. Gal. 3, 28. Ephes. 4. 5.*

CAPUT XX.

De Sanctificatione.

*Effectus secundus justificationis, est San-
ctificatio.*

1. Quid est Sanctificatio?

*Est effectus justificationem consequens,
qui in continuatione regenerationis consistit
hoc est, reali hominis commutatione, à peccato
ad imaginem Dei.*

*(Dicitur aliàs depositio veteris hominis, Ephes.
4, 22.)*

*Rom. 6, 22. Habetis fructum vestrum
in sanctificatione.*

2. Quæ Causæ?

873

*Efficiens, Dei gratia Sp. Sanctus, 2 Theß: 2.
12. Per Sanctificationem Spiritus. [Jerem.
31. 33. Ezech. 36, 26. 27. Rom. 8. v. 13.]*

*Meritoria, est Christus, Rom: 6. v. 6. Ve-
tus homo noster cum eo (Christo) crucifi-
xus est.*

*Administrans, est fides, Rom: 8. Ex-
emplaris, mors & resurrectio Christi, Rom:
6. 3. In mortem Christi baptisati sumus.*

*Materia est totus homo animâ & corpore,
1 Theß. 5, 23. Ipse Deus pacis sanctificet
vos per omnia: & integer Spiritus vester,
& anima, & corpus irreprehensibiliter in
adventu Domini nostri Jesu Christi ser-
vetur.*

*Terminus à quo, est peccatum, 2. Cor:
7, 1. Mundemus nos ab omni inquinamen-
to carnis, & Spiritus, perficientes sancti-
ficationem in timore Dei.*

*Ad quem, est imago Dei, ad quam refor-
mamus. Illius respectu dicitur mortificatio:
hujus respectu vivificatio, Coloss: 3. v. 3.
Ephes. 4 24. Induite novum hominem,
qui creatus est juxta Deum, in justitia &
sanctitate veritatis.*

Forma sanctificationis, est illa hominis immutatio, & innovatio: Ezech: 11. 19. Novum Spiritum tribuam illis.

Finis sanctificationis, I est voluntatis Dei impletio. I Thes. 4. 3. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra Luc 1. 74. 75. Liberati serviamus Deo in justitiâ & sanctitate, omnibus diebus vitæ nostræ. II. Fidei nostræ contestatio. Gal: 5. 4. Fides per charitatem efficax est. I Joh. 3. 3. Omnis, qui habet hanc spem in eo (Deo) sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

Effecta sanctificationis, sunt abnegatio nostri, & peccati fuga, Luc: 9. 23. Si quis vult post me venire, abneget se ipsum. Rom 6, 12. Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus. v. 21. Liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.

3. Quæ adjuncta sanctificationis?

1. *Imperfectio: Hinc gradus duo sunt (1) infantia. I Cor: 13 v. 12. Ephes: 4. 14.*
quæ

quæ est inchoatio sanctitatis, (2) ætas virilis
Ephes 4. 14. 1 Cor: 13. 11. Philip: 3. 12.

(Perfectio credentium est 1. Inchoativa, 2. Impu-
tativa, 3. Affectiva, Rom: 7. per tot; Contr:
Pontific:)

2. *Lucta carnis & Spiritus in renatis,*
Rom: 7, 23. Video aliam legem in membris
meis, repugnantem legi mentis meæ, &
captivum me reddentem legi peccati.

(Lucta carnis metuentis, ad carnem concupif-
centem, in non renatis existit, Spiritui S. resi-
stentibus, Rom: 2. 1.)

3. *Perseverantia, quæ nihil est, nisi san-
ctificationis continuatio: Matt: 10. 22. Qui
perseveraverit usque in finem, hic salvus
fiet.*

*Effectus tertius Iustificationis, est Liber-
tas Christiana.*

CAPUT XXI.

De libertate Christiana.

1. Quid est libertas Christiana?

Est spiritualis manumissio à Tyrannide
peccati, legis moralis rigore, maledictione &
condemnatione, à morte eterna, & iugo ce-

*remoniarum, cum libero rerum mediarum
usu, ad Dei gloriam, & proximi salutem
(Non est carnalis libertas. Gal: 5. 13).*

2. Quæ Causæ hujus libertatis?

*Efficiens, Deus est, misso filio, qui nos liberavit
Ioh: 8. 36. Si filius vos liberavit, ve-
rè liberi estis, Gal. 5. v. 1. State in libertate,
quâ vos Christus liberavit. Rom. 6. 18. Li-
berati à peccato, mancipati estis justitiæ
c. 7. 6. Liberi sumus à lege.*

*Spiritus S. suo testimonio hanc liberta-
tem obsignat, Rom. 8. 5. Accepistis Spiri-
tum adoptionis, per quem clamamus,
Abba, pater.*

*Instrumentalis, est vel offerens, vel accipi-
ens:*

*Offerens est, verbum Dei. Ioh: 8. 32. Ve-
ritas vos asseret in libertatem.*

*Accipiens est fides, Rom: 5. 2. Fide ha-
bemus hunc aditum in gratiam hanc, per
quam stamus, & gloriamur.*

*Materia, est 1. Subiectum, nempe omnis
fide præditus, cujuscunq; status, sexus, ordi-
nis, conditionis, 1 Cor: 7. 22. Qui in Do-
mino vocatus est servus, libertus Do-
mini*

mini est. Similiter & qui liber vocatus est, servus est Christi. Gal: 3. 28. Non est hic Judaeus, neq³ Graecus, non est servus neq³ liber, nō est masculus ac foemina. Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu.

II. Materia ex qua, & circa quam, est tyrannis peccati, execratio legis, reatus mortis aeternae, jugum Ceremoniarum (Mosaicarum) & usus rerum adiaphorarum: Rom. 8. 1. Nihil (ergo) damnationis est in his, qui sunt in Christo Iesu Coloss. 2. 16. Nemo vos judicet in cibo, & potu, aut parte diei festi, aut novilunij, aut Sabbathorum, v. 20. Liberi estis ab Elementis mundi.

Forma hujus libertatis consistit in abrogatione dominii peccati, legis, Satanae, in hominem, & hujus, ab illa obligatione, absolute, Esa. 49. 25. Captivitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto, salvabitur.

(Plenè consummabitur in altera vita, 1 Cor. 15, 54. 55. 56. 57. illa libertas.)

Finis hujus libertatis, est: 1. gloria potentiae & gratia Dei.

II. *Servitus Deo prestanda*, Luc. 74. 75. Liberati sine timore de manu inimicorum nostrorum, serviamus ei in sanctitate & iustitiâ coram ipso, omnibus diebus vitæ (conf: Tit. 2, 11. 11. Rom. 6. 4. 5. seq.

III. *Libertas duplex*: (1) *conscientiæ tranquillitas*, Rom: 5. 1. Justificati ex fide, pacem habemus erga DEUM, per Dominum nostrum Iesum Christum. Rom: 8. 33. Quis accusabit electos Dei?

(Contr: dubit: Pontificiorum)

(2) *Libertas rerum mediarum & indifferentium*, concessa fidelibus mentibus, non dubitantibus, charitate, & ordine circumstantiarum, quando, & coram quibus res medie usurpanda, determinante. Rom: 14. 23. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Conf: Tit: 1. 13. (Rejicetur superstitio, Col: 2. licentia carnalis, servitus spiritalis, Gal: 2. 4 Gal: 2. 3. Titus, qui mecum erat, etsi esset Gentilis, non est compulsus circumcidi.) Huc spectat usus imaginum, Altarium, Vestium, Organorum Musicorum, Panisfragij. &c. (contra rigid. Calvinian:)

CA;

CAPUT XXII.

De Sacramentis in Genere.

Primum genus mediorum, gratiam conferentium, in pœnitentia, & justificatione ita fait: Sequitur alterum genus mediorum, gratiam obsignantium, quæ sunt Sacramenta. Considerantur verò vel in genere, vel in specie.

I. Quid sunt Sacramenta?

Sacramenta sunt media, (sive actiones divinitus instituta,) constantia verbo Dei, & elemento externo, fidem, & bona spiritualia obsignantia. (non sunt nuda spectacula, contr. Pontific.)

II. Quæ causæ Sacramentorum?

Efficiens principalis, solus DEUS est, n-icus fons spiritualium honorum: (E. non Papa, non Ecclesia c. Pontific:) instituens Sacramenta verbo mandati, promissi, ordinati.

Administra Ordinaria in genere, est verbi Minister, 1 Cor: 4. 1. non Angelus; neq; obstat vita mala ministri: Matt: 23. 3. (c. Donatistas, Pontific: intentionem.)

Materia, I. Ex quâ, est vel terrenat vel
cæle-

coelestis. Terrena materia, est elementum vel symbolum externum, institutione, in quolibet sacramento determinatum, ad usum sacramentalem, (non mutatur substantia elementi, c. Pontif:)

Coelestis materia, est res divina in quolibet sacramento, (alij huc referunt verbum mandati & promissionis,) nempe Christus cum omnibus beneficiis & meritis, nobis in sacramentis applicatus & exhibitus. I Cor. I, 30. Christus factus est nobis à DEO sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio. II. Circa quam, & cui, est homo fidelis, in Ecclesiâ (non campana, s. Pontif: baptism.)

Forma sacramentorum genericè consideratur, ex parte DEI, vel hominum. Ex parte Dei forma, est unio signi vel elementi cum re signata, vel coelesti: vera & realis, mystica tamen, (non physica, non localis, non juxta physicum contactum, non per in existentiam, vel inclusionem.)

Unionis hujus consequentia, sunt duo: Primum, Præbitio verissima, vel exhibitio
rei

rei caelestis. Secundum, exhibita rei ob-
signatio.

Forma, ex parte hominum, est vel δόσις
vel λήψις, Datio, & acceptio, Symbolorum
cum re caelesti, quae in se necessaria est. Mo-
dus verò ejus liber est.

(Extra usum non habent rationem sacramenti,
contra Pontif. assertat: Fides verò non est for-
ma Sacramentorum, nec analogia nuda.)

Finis sacramentorum primarium, est μετὰ-
δοτικός, exhibitivus rerum spiritualium, &
σφραγιστικός, b. est obsignativus.

Secundarius finis, est συμβολικός, signifi-
cativus. Sunt enim sacramenta nervi pu-
plicorum congressuum, tesserae Ecclesiae, sym-
bola confessionis, & monumenta mutuae cha-
ritatis. (hi fines non opponendi. c. Socinianos.)

III. Qui effectus sacramentorum?

Effectus sacramentorum sunt: gratiam
divinam offerre, exhibere, obsignare, nosq;
Christo in serere, (non agunt insitâ vi, eo
modo, quo calor ignis est causa combustionis
ligni, c. Bellarminum, Pontific. non ex ope-
re operato.)

Ad finem & effectum sacramentorum, re-
fe-

ferimus Analogiam signorum, & rerum signatarum. c. Calvin: illam pro formâ Sacramentorum venditantes.

In genere sacramenta ita fuerunt, in specie sequuntur.

CAPUT XXIII.

De circumcissione & Agno Paschali.

1. Quotuplicia sunt Sacramenta?
 Duplicia sunt. I. alia veteris II. alia novi Testamenti.

2. Quæ & quot sunt V. T. Sacramenta?

Duo: circumcisio, & agnus Paschalis.

(Transitus per mare rubrum, arbor vitæ, diluuium, Manna, fuerunt signa extraordinaria, temporaria symbolica, 1 Cor. 10. 1 Joh. 6, 31. 1 Pet. 3, 21. non sacramenta propriè dicta, c. Polan: alios.)

Circumcisio, est sacramentum veteris testamenti primum, quo iustitia fidei circumciso, cum Iudeo, tum profelyto octavo die post natiuitatem, præputij amputatione applicabatur, & obsignabatur, & de spirituali circumcissione monebatur. Gen: 17.

10. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum. Deut 30, 6. Circumcidet Dominus DEUS cor tuum.

Agnus paschalis, est sacramentum V. Testamenti alterum, quo Israelita & profelyti, agnum masculum, anniculum, immaculatum, ritu divinitus ordinato, maculatum, assumq, manducabant cum azymis, & lactucis salis, in liberationis Aegyptiacae recordationem, & spiritualis per Christum liberationis futurae praefigurationem. Exod. 12, 5. Erit agnus absque macula, masculus, anniculus, v. 8. edent carnes illas nocte illa, assas igni & azymos panes cum lactucis agrestibus. v. 11. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis, &c. Est enim Phase vel transitus Domini: 1 Cor. 5, 7. Pascha nostrum immolatus est Christus:

3. Quænam communes horum duorum sacramentorum V. T. affectiones?

Dne

Dua sunt, I. *Abrogatio horum, veniente Christo, in quô circumcisi sumus circumcissione non manufactâ, in exspoliatione corporis carnis Colos: 2: 1. & novum Testamentum, Christo ipso immolato, accepimus Heb: 8. umbris fugatis. Colos: 2: 17. Hebr: 10. 1. Matt. 26. Hoc est novum testamentum in meo sanguine.*

(Contra Judæos.)

II. *Differentia horum sacramentorum à Sacramentis N. Testamenti: & Convenientia. Differunt (1) materiâ terrenâ propriâ (2) formâ propriâ, hoc est actionibus præscriptis, (3) Objecto proprio, nam Christus erat venturus sub spe in V. T. in N. T. sacramentis habemus ipsum Christum exhibitum in re. Colos: 2. 17. Hebr: 10. 1. Conveniunt verô eadem utriusq; Testamenti sacramenta (1) causa efficiente DEO, (2) materia numero. Vtrobique enim materia duplex fuit, terrena, cœlestis. (3) fine & effectu generali, hoc est ob signatione gratia & remissione peccatorum, Actor: 15. 11. Apoc. 3. 8.*

CAPUT XXIV.

De Baptismo.

82

Haecenus Vet. Testamenti duo sacramenta fuerunt: sequuntur novi Testamenti eodem, sacramenta duo, Baptismus, & Coena. (non septem. cont: Pontif:)

1. Quid est Baptismus.

Baptismus, est primum N. T. sacramentum, vel actio divinitus instituta, constans lavacro aquae, (aspersione, sive intinctione:) in verbo, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti facto, ad regenerationem, salutem, & bonae conscientiae pactum. Iohan: 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum DEI. Matt. 28, 20. Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti. Tit. 3. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis in Sp. sancto. Ephes. 5. 25. Purificans (Christus) eam (Ecclesiam) lavacro aquae in verbo.

2. Quae causae Baptismi?

Efficiens principalis, DEUS est, tota S. Trinitas, institutione facta ante & post Christi mortem, Matt: 28. 25. Baptismus

Io-

Johannis ē cœlo erat, an ex hominibus?
 confer Luc: 7. 29 30. Ioh. 1. 33. Matt: 31.
 5. (verum igitur Sacramentum fuit. c. Pon-
 fic: Photin:)

Administra causa ordinaria, est verbi
 Minister, legitime vocatus. Matt. 28. 20.
 I Cor: 4. 1. non Christus, Ioh: 4. 2.

Extra ordinaria, est persona utriusq; se-
 xus, vir vel mulier, in casu necessitatis. (ex-
 empl. Exod. 4. 25. c. Calvin:)

Materia est visibilis vel invisibilis V sibi-
 lis est vel ex quâ, vel circa quam. Ex quâ
 materia, est aqua naturalis, (non ignis c.
 Hermian: non arena, lixivium, liquor ali-
 us, c. Pontific: Calvin:)

Invisibilis materia, est verbum mandati,
 promissi, ordinati, quo Christus hoc Sacra-
 mentum munivit, (alii totam S. Trinita-
 tem, ex Matt: 28. 19: alij Sp. sanctum:
 Ioh: 3. 5. alij Christi sanguinem. I. Joh: 5. 8.

Materia circa quam, est homo vivus:
 (non mortui, campanæ, infantes non editi,
 monstra. (c. baretis: priscos & Pontific.)
 tam infantes, quàm adulti (contra Anab:
 Socinistas:) è Ioh: 3. 5. 6. Genes: 17. 13.

Actor:

Act. 2. 39. Vobis promissio facta est & filiis vestris Marc. 10. 14. Sinite parvulos venire ad me, nec prohibite eos: Talium n. est regnum cœlorum.

Forma partim in recitatione verborum Institutionis, partim in immersione vel aspersione consistit. Matt. 28. 20. (modus huius liber est: Trina tamen fuit in primitivâ Ecclesiâ.)

Finis Baptismi, est. I. Regeneratio vel renovatio. Tit: 3. 5. Ioh: 3. 5. Rom: 6. 6. 1 Pet: 3. 21. II. Salus nostra. III. DEI gloria. IV. Minus principalis est, testimonium Professionis, nervus congregationum, Ecclesiæ. (non opponendi. cont: Socinianos.)

3. Quæ effecta Baptismi?

I. Regeneratio, ut dictum (c. Socinist: negantes.) quam sequitur II. fidei, donatio, & Christi indutio. Gal: 3. 27. Quotquot baptisati estis, Christum induistis: (In infantib: Adulci veni hypocrite accipiunt sacramenti substantiam, non efficaciam) III. Remissio peccatorum, & deletio (quod reatum, non radicem, c. Pontif: non significatio horum bonorum: c. Calvin:) IV. Fœdus bonæ

E

bonæ

bonæ conscientie. I Pet: 3. 21. V. Analogia generalis (respectu finis & effectus.) Rom: 6. 4. Sepulti sumus unâ cum eo (Christo) per baptismum, in mortem, &c. (D. Luth: in Catech:)

4. Quæ adjuncta Baptismi?

I. *Unitas*: Unus enim baptismus, non duplex (c. Beza) II. *Necessitas* eiusdem, non planè absoluta, sed conditionata. Marc. 16. Qui non crediderit, condemnabitur: III. *Ceremonie accidentales*, piæ, (non superstitiosæ Pontific:) ad quas Exorcismum referimus, Patrinos &c. (c. rigid: Calv: Socinian.)

CAPUT XXV.

De Cœnâ Domini.

Primum N. Testamenti Sacramentum Baptismus ita fuit: Sequitur alterum, Cœna Domini.

I. Quid est cœna Domini.

Cœna Domini, est alterum N. Testamenti sacramentum, in quo, in, cum, sub pane & vino, verum corpus, & verus sanguis Christi Iesu mystico & divino modo, distribuitur in fidei confirmationem, & obsignationem

remissionis peccatorum. 1 Cor. 10 16. Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Matt. 26. Dominus noster Iesus Christus. &c. confer 1 Cor: 11. 23.

Quæ causæ S. Coenæ?

Causa efficiens princeps, est Dominus noster Iesus Christus, instituens hanc cœnam, verbô mandati, promissi, ordinati, (id non est Tropicum, sed proprium, Grammat: contra Tropistas.)

Causa ministerialis, est minister verbi, legitime vocatus. (contra characterem, & intentionem, quæ in ministro requirunt Pontificii.) non laicus: (c. Photinianos.)

Materia S. Coenæ, vel est terrena, ut panis verus, merus: & vinum verum, merumque, (sive ex triticeâ sive aliâ farinâ. c. Scholasticos, non commixtus caseo aliisve rebus. c. veteres Artotyritas. Cataphryges. Gnosticos, non substantia pani similis, c. Bezam. Azymus, ne sit, an fermentatus, Adiphorum est: non necessar: Hostie verus sunt panis ob materiam & formam, c. Reform:)

*Similiter verum vinum (non aqua, c. Be-
zam. Innoc: VIII. apud Volaterranum. ne-
que aqua mixtum: c. Pontific: neq, etiam u-
triusq, Elementi substantia transcreatur. c.
Transubstantiationem Pontific: 1 Cor: 11.
26.)*

*Vel coelestis: ut corpus & sanguis Domi-
ni, ex verbis institutionis.*

*(Non virtus corporis, non memoriale cor-
poris Dominici duntaxat, neq, tota persona
aut ejus beneficia, Quid dicitur enim Chri-
stus hoc corpus & hunc sanguinem dari ait
quod traditum, quiq, effusus est, pro nobis
c. Calvin. Neq, solum corpus: c. Pontific:
mutilantes.)*

**Forma Coenae est vel interna, vel
externa.**

*Interna, est communicatio panis cum cor-
pore Christi, & vini, cum sanguine ejusdem
Alias sacramentalis unio.*

*Est vero haec unio non corporalis, respec-
tu modi: corporalis est, respectu veri corpo-
ris sub & cum pane traditi. Substantialis,
ratione substantiae corporis, non modi, non
σχετικῆ, vel in nuda significationis relatio-
ne panis ad corpus Christi. Non enim adsi-*

gnē

gnificandum, sed comedendum hunc panem instituit Dominus. Vera tamen est & realis: non physicè. Sed grammaticè, propriè: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Illustrari solet hæc uni, seq̄, simil: spiritus sanctus est columba, hoc est, in, cum, sub columba datus est Sp. sanctus. Matt: 3. Afflatus, lingua ignea sunt spiritus sanctus, Ioan: 20. hoc est: dabatur cum afflatu Sp. S. & sub lingua. D. Chemnitius: de fundament: cœnæ. Nec aliter intellig Phrasis. Panis est corpus Christi. Vinum est sanguis Christi, hoc est panis est medium participandi corporis Domini. (c. Calvin: presentiam corporis Christi in cœnâ negates.)

Externa forma, est tum datio ministri, tum acceptio communicantis.

Datio, est utriusque symboli distributio, modus ejus in differens est, sive in manus symbola tradantur, sive immediatè ori admoveantur. (c. Calvin. Smigles: Pontific: qui attrectari symbola nolunt:)

Dationem præcedit consecratio, (non magica, c. Pontific: non Latina,) cujus fines sunt, 1. Mandati Christi, Hoc facite, impletio.

pletio. 2. Totius Ecclesie, de hoc mysterio, commonefactio 3. symbolorum à communi usu separatio, & sanctificatio, ad usum μελαδοσίχον corporis & sanguinis Christi, I Cor: 10. Poculum cui benedicimus: (contra calumnias quorundam Calvin:)

Panifragium in differens est, nec ob fractionem panis Ecclesia frangenda est, iudice Zanchio ipso, Epist: ad Othon: à Grunrad, lib. 1. Epistol: (contra rigidos fractores, qui panifragium vel ad essentiam, vel ad integritatem sacramenti referunt. Analogia, quam in fractione fingunt, est ἀγχαφοσ & typo ceremoniali, cuius terminus solus Christus est, ex asse contraria.

Acceptio, est utriusq; symboli, & sub his, corporis, sanguinisq; receptio, I Cor: 11. 24. Accipite, comedite. (contra missa sacrificium, ubi non est acceptio.) Dicitur aliàs manducatio, (bibitio.)

In manducatione hæc notanda sunt: 1. Divisio. 2. Instrumentum. 3. Nomina. 4. Differentia manducationis: sacramentalis, spiritualis, Naturalis, & Capernaitica.

1. Divisio ita se habet; Manducatio in
cena

cœnâ versatur vel circa substantiam, vel e-
jusedem efficaciam. (Circâ substantiam cœnæ,
occupatur 1. manducatio Physica, respectu
panis, physicè comesti, & naturaliter. 2. re-
spectu panis: & corporis simul datûr mandu-
catio Sacramentalis 3. Circâ efficaciam cœ-
næ, occupatur manducatio spiritualis, quæ
solâ fit fide.

Secundò Instrumentum manducationis
sacramentalis, os est, spiritualis, fides. (Ex
verbis Christi: Edite; non vero solum pa-
nem, sed & Christi corpus edere jubentur.
(contra Calvinian: Socin: Anabaptist:)

Tertiò. Hæc manducatio dicitur pro-
pria, proprietate Grammatices, Corporalis,
respectu instrumenti oris, & objecti corporis
Christi, Oralis itidem, non modi, sed oris re-
spectu. Modus ejus occultus est & mysticus;
juxta genium horum mysteriorum, & unio-
nis hujus panis & corporis Christi. Qualis
enim est unio, talis est communio, vel man-
ducatio.

Quartò, differentia manducationis.

I. Manducatio sacramentalis differt à spi-
rituali: (1) Verbo mandati, promissi, &

ordinati. Spirituales non est restricta ad cœnam, sed & extra eam fit, habens promissionem gratia, etiam sine cœna, ordinata ad promissionem quamlibet Christum proponentem, contra: Sacramentalis sola habet verbum mandati, ut edamus in & cum pane corpus, bibamus in & cum vino sanguinem Christi, adeoq; ratione instrumenti differunt (2) Sacramentalis fit ore juxta verba institutionis, spiritualis fide. (3.) Materiã, spiritualis non fit in solo corpore aut sanguine Christi, sed in Christo toto, & omnibus ejus beneficiis. Ioan: 6. hoc est, occupatur circa efficaciam; Contrã: sacramentalis fit discretè in corpore & sanguine Christi (4) modo & forma, sacramentalis distinctè accipit corpus & sanguinem. At spiritualis non distinctè accipit hæc, sed totum Christum, quantum est, Adde, sacramentalis est mediata: fit enim per panem, &c. At spiritualis est immediata, Rectã namq; in Christum fertur. (5) Effectu: sacramentalis manducatio est, ubi ad iudicium fiat. I Cor: 11. si verò ad salutem fiat, non est sine spirituali. Spirituales verò semper fit ad salutem, & est

est sine sacramentali. (6.) adjunctis. Spiritu-
 ualis fuit etiam in veteri Testamento, Sa-
 cramentalis est solius Novi Testamenti: Hic
 calix est novum Testamentum in meo san-
 guine I Joh. 5. Sanguis in terrâ testatur:
 I Cor: II. à Domino accepi. Erat ergò no-
 vum sigillum: Demum (7.) Sacramentalis
 absolutè non est necessaria omnibus: Con-
 trà spiritualis est absolutè necessaria. Marc:
 16. Qui non crediderit, condemnabitur.

II. Sacramentalis manducatio à Caperna-
 naiticâ illâ, Ioan. 6. differt: 1. Modo. Ca-
 pernaite naturalem modum statuebant, con-
 trà sacramentalis fit modo supernaturali 2.
 Ordine, nam immediatè statuebant se com-
 municaturos esse corpori Christi, Ioan: 6. 52.
 At sacramentalis fit mediatè, pane medi-
 ante.

(contra Bezae Creophagiam nobis impactam.)

Post formam sequitur Finis S. Eucharis-
 tiae, is est primarius, vel secundarius.

Primarius, est duplex, μετὰ δόξινος, exhi-
 bitivus, & obsignativus, σφραγιστικός.

Exhibitivus, scilicet corporis & sangui-
 nis Christi: Obsignativus, est beneficiorum,

Christi & remissionis peccatorum, & quidem individualis applicatio (hic est: Pro Vobis) & fidei confirmatio: Hoc facite. quotiescunq; biberitis, in mei commemorationem. Gratiarum actio, & mortis Domini annuntiatio, I Cor: I. 27. (contr: negantes Socin:) Secundarius, est: I. Testificatio fidei, quam credimus II. Ethica de unitate nostri commonefactio. I Cor: II. 17. Unus panis, unum corpus multi sumus.

3. Quodnam objectum coenae?
Sunt manducantes, isq; vel digni, vel indigni.

Digni, qui se probant, nempe juxta Legem & Evangelium, I Cor: II. 28. Probet quisq; seipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.

Indigni, contrá. (Excluduntur ergo infantes furiosi, manifestè scelerati.) Vtriq; accipiunt corpus & sanguinem Domini, tam digni, quam Indigni. I Cor: II. 27. Quisquis ederit panem hunc, & biberit calicem Domini in dignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

(2.) Judas, qui coena interfuit, omninò dixerat

versum accepisse sacramentum non legitur.
 (2) infidelitas hominum Dei sacramenta
 non mutilat. Ilustro : Verbum unum est,
 quod piis odor vitæ, impiis odor mortis est?
 quo piis offertur, ut Salvator, infidelibus,
 ut iudex. Pharmacum per se bonum, morbi-
 do stomacho noxium est. Unus serpens, quem
 intuiti, & fideles & infideles in populo Dei.
 Numer: 21. Illi sanati, non hi Summa: Chri-
 stus spretus ab incredulis, fit illis iudex, in
 hoc sacramento.)

Subjectus locus, est vel Ordinarius, in cœ-
 tu Ecclesiæ: Vel Extraordinarius, in casu
 necessitatis quivis alius locus.

(Contra eos, qui negant, ægrotis domi porrigen-
 dam esse cœnam.)

Adjuncta quæ Cœnæ?

I. Reiteratus usus cœnæ, 1 Cor: II. 26.

Quotiescunq; &c.

II. Preparatio in jejuniis, & devotione.
 Probet se homo, &c.

III. Tempus liberum, iuxta Ecclesiæ or-
 dinem, & necessitatem cujuslibet.

CAPUT XXVI.

De Ecclesiâ.

In tertio hominis statu, qui gratiae est, duo fuerunt, nempe principia & media gratiae, Sequitur tertio: Subjectum cui, sive officina, in quâ hæc gratia viget & offertur, Ea verò Ecclesia est.

Ea consideratur dupliciter, 1. in se, 2. in modo dispensandi & mediis.

1. Quid est Ecclesia in se?

Est multitudo credentium, Vel est: ubi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, & vocati, Matt: 28. 20. 1 Cor: 1. 24.

2. Quæ est divisio Ecclesiæ?

(1.) Respectu graduum communicationis, dicitur militans, & triumphans, 1 Cor. 13.

9. 2 Cor. 10. 3. Ephes. 4. 13. 1 Cor. 15. 24.

(2.) Visibilis, vel invisibilis.

Invisibilis dicitur, ratione electionis & fidei, 2 Tim: 2. Novit Dominus, qui sunt sui.

(3.) Universalis, Particularis.

Universalis, est omnium temporum, locorum.

Particularis, est cujuslibet loci.

(Cont: falsum Catholicismum Pontifici:)

3. Quæ

3. Quæ sunt Causæ ?

1. *Efficiens primaria, Deus est pater, elocans Filium, Matt: 22. 2. Filius desponsans, Ose: 2. 19. Sp. Sanctus obfignans testimonie sponsalia, Rom: 8. 16. Ephes: 1. 14. Solus igitur Deus est Ecclesiam instituens. Ephes: 1. 20. Constituit (Deus) Christum caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.*

Ministerialis, est ministerium Ecclesiasticum per verbi prædicationem, sacramentorum administrationem: & [extraordinariè] miracula. Hebr. 3, 5. Et Moses quidem fidelis erat in totâ domo Dei, tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant.

2. *Materia Ecclesiæ variè consideratur: (1.) conjunctim, & sic est, cœtus hominum, sive multitudo.*

(2) ratione temporis, alia erat V. T. alia Novi. Illa erat ad certum populum alligata, nempe Iudaicum; ei associati dicebantur profelyti, Act: 2. 5. Hæc verò non est restricta, Matt: 28. 19. Luc: 24. 74. Act: 1. 8. c. 10. 34. Gal: 3. 28. Coloss: 1. 28.

(3)

(3.) Ratione statuum: *Et sic materiae haec, est status chori, fori, tori.*

(4) Divisum: *Et sic materiae Ecclesiae, sunt Pastores & Auditores, sive Clerici vel Laici. (non sensu Pontificio.)*

(5.) Essentiae ratione. *Quaedam sunt homogenea membra, quaedam heterogenea, seu non sancta. (Dicuntur Zizania, Matt: 13, 24. paleae, Ps. 1. putres pisces, d. l. Matt. 13. fatuae virgines, Matt. 25. Vasa lignea. 2 Tim: 2, 20.)*

(Contr: Anabaptist: Socinist: sanctitatem.)

(6.) Adjuncti (etatis) sunt adulti & liberi. *Hi sunt membra Ecclesiae, ratione 1. Juris, 2. promissionum latitudinis. 3. non ratione omnium actuum Ecclesiae exercitij.*

3. *Forma Ecclesiae consideratur I. Externè. Et sic in vocatione consistit, & Sacramentorum administratione, 1 Cor: 11. 26. Quotiescunq[ue] manducaveritis panem hunc, & biberitis calicem, mortem Domini annuntiabit, donec veniat.*

II. Internè: *Et sic unio per fidem cum Christo est Ecclesiae forma: (invisibilis igitur dicitur;) Vel unio membrorum inter se per*

vino

vinculum spiritus & obedientie, quatenus ea refertur ad communionem exercendam, Eph: 4. 4. Unum, corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ.

III. Accidentaliter : Et sic visibilitas communionis & professionis, forma est accidentalis, que ad tempus abesse, potest: 1 Reg. 19, 18. Derelinquam mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.

4. Finis Ecclesie, & summus, Dei gloria, 1 Pet: 2, 9. Annuncieris virtutes ejus, qui vos vocavit.

Subordinatum, est bonum spirituale Ecclesie, ad quod obtinendū omnes communionis actus diriguntur, Estq; vel respectu Christi, vel Christianorum.

Respectu Christi bonum est, regni amplificatio, Ps. 2, 8. Dabo tibi gentes hæreditatem, & terminos terræ possessionem tuam.

Respe: Christianorum bonum est, 1. Con-
ver-

versio. Act: 17.30. 2. Defensio eorundem in regno gratiae. Iob: 10. 30. 3. Triumphatio, de hostibus spiritualibus, & glorificatio Ephes: 5. 27. Ut sisteret sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam.

4. Quæ Effecta Ecclesiae?

Exercere actus, huic cœtui convenientes, ut sunt Interni, vel Externi. Interni sunt Fidei, Orationis. &c.

Externi sunt publici Exercitij species. De utrisq; lib: 2.

5. Quæ Adjuncta Ecclesiae?

I. Constantia professionis Ecclesiae.

II. Officium & autoritas ministerialis, (non magisterialis,) testificatoria διακονικὴ, [non ἀποστολική] 1 Tim. 3. 15. Ecclesia Dei vivi [est] stabilimentum, & columna veritatis.

III. Notæ propriae Ecclesiae sunt primariae, 1. Verbi prædicatio & 2. Sacrament: administratio (Hæc crux immediatè sequitur.) Joh. 8. 31. Si in sermone meo manseritis verè discipuli mei estis: c. 10. 27. Oves meæ vocem meam audiunt. 1 Cor. 11.

v. 6. Quotiescunque comederitis panem
hunc, & de poculo hoc niberitis, mortem
Domini annunciate, donec veniat.

(contra Spurias notas Pontifici; Socin: Spectat huc
locus de Antichristo.)

CAPUT XXVII.

De Ministerio Ecclesiastico.

*Ecclesia (objectum cui Salutis) in se ita
fuit: sequitur modus, & medium admini-
strandi, in Ministerio Ecclesiastico.*

1. Quid est Ministerium?

*Est medium διακονιόν, certis personis
commissum, in legitimâ verbi prædicatione,
& administratione sacramentorum con-
sistens. 1 Cor. 4. 1. Sic de nobis reputet ho-
mo, ut de ministris Christi, & dispensato-
ribus mysteriorum Dei.*

2. Quæ ejus Causæ?

*1. Efficiens summa, Deus est, vocans vel
Ordinarie, vel Extraordinarie. Psal. 68. 12.
Dominus dedit sermonem, earum quæ
annunciabant, exercitus magnus est.*

*Matth. 9. v 38. Rogate Dominum mes-
sis, ut emittat operarios in messem suam.*

LUC. 1.

Luc. 1. 70. Deus locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, prophetarum suorum.

(Contr: currentes Jerem. 23, 21.)

Ministerialis causa, sunt personae vocantes ministrum ordinariè: Jerem: 23. 21. Rom: 10. 15. (art: 4. Aug: conf.)

(Contr: Anabapt: & Socin: vocationis necessitatem negantes.

Suntq; haec personae totius Ecclesiae interpretes è choro, foro, foro. Tit: 1. 5. Actor: 1. 15.

Personae chori sunt presbyterium, cuius sunt hic tres partes. 1. Examinatio Fidei & vitae, 1 Tim: 3. 6. Oportet eum (Episcopum) bonum habere testimonium ab extraneis, Tit. 1. 9. Fidelis illius sermonis tenacem [esse oportet Episcopum] qui ad doctrinam facit, ut possit etiam exhortari per doctrinam sanam.

2. Ordinatio quae per preces, & manuum impositionem fit, & 3. Inauguratio.

Personae fori sunt Magistratus, cuius partes sunt. Nominatio, Presentatio, Confirmatio.

Personae tori sunt populus, cui competit consensus, suffragium, approbatio.

Hæc

(Hæc tamen pro diversitate juris patronatus & consuetudine locorum variant.)

(Errant Pontificii soli Papæ & Episcopo hoc jus vocandi attribuentes, 2. Anabaptistæ, ad promiscuam populi multitudinem hoc referentes.)

II. *Materia*, sunt personæ ipse, *Ministri*, quorum adjunctum necessarium est *aptitudo*. Tit: 1.9. Sit (*Episcopus*) potens exhortari per doctrinam. confer: 1 Tim: 3.2. Hof: 4.6. Circa quam est grex Domini, Act: 20.28. Attendite vobis ipsis, & toti gregi. In quo vos Spiritus S, constituit Episcopos, ad pascendam Ecclesiam Dei, quam ille suo sanguine sibi acquisivit. c. 1 Pet: 5.1.

III. *Forma*, est potestas spiritualis, ex imperio Christi, & mero erga ipsum obsequio, non tamen absoluta, sed restricta ad ius, quod à vocatione pendet. Heb. 5. 4. & ad utilitatem Ecclesie: non in destructionem dependens à Christo capite, & Dominio Ecclesie, dirigenda ad præceptum verbi. 2. Cor: 13.10. Potestatem mihi Dominus dedit, non ad destructionem, sed ædificationem.

Est q̄ hæc duplex: potestas jurisdictionis, & ordinis.

Ita

Iurisdictionis, est in usu clavis solventis, & ligantis: Matth: 16. 19. Ioh: 20. 23. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittentur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta erunt. Hinc absolutio & excommunicatio: Vtraq; publica vel privata est: (Non 1. est donum Politicum e. Pontif: 2. nec absoluti juris.)

Ordinis potestas versatur circa Ecclesie eutaξία.

*Eutaξία haec est quadruplex: (1.) Cere-
moniarum, 1 Cor: 14. v. vit: Omnia euyη-
μόνως & κατὰ τάξιν, decenter & ordine
fiant.*

*(2.) Morum & disciplina, instituta à
Christo & Apostolis, ad castigationem scan-
dalosorum, quæ vel correctione fraterna,
vel excommunicatione constat, Matt: 18.
16. si peccaverit in te frater tuus, vade,
& argue eum inter te & ipsum solum, si te
audierit, lucratus es fratrem tuum: sin ve-
rò te non audierit, adhibe tecum adhuc
unum aut duos, ut in ore duorum aut
 trium testium consistat omne verbum.
Quod*

Quod si non audierit eos, die Ecclesiae: quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus, (juris divini est.)

(3.) Graduum certorum. Hinc alij gradus in V. alij in N. T. sunt.

In V. T. alij ante Moysen, alij post eum fuerunt: Ante Moysen erant Patriarchae, post Moysen Prophetae.

Post tempora Prophetarum, Levitae, & reliqui Doctores in populo Dei.

In N. T. gradus considerandi, vel ante Christi ascensionem, vel post eam.

Ante ascensum Christi 4. ordines. I. Christus ipse $\epsilon\zeta\alpha\epsilon\chi\Theta$. II. Iohannes Baptistia. III. Duodecim Apostoli. IV. septuaginta discipuli.

Post ascensum 1. ordo Apostolorum erat, 2. Prophetarum. 1 Cor: 12. 28. Eph. 4. 11. Matt. 10. 41. 3. Evangelistarum. 4. Pastorum. 5. Presbyterorum. 6. Diaconorum. quibus Diaconissae adjunctae sunt.

(Errant Pontificij, ordines humanitùs introductos reverentes, C. clericos, dist: 21. Bellarm. lib. 6)

de fact: ord: c. 1. sacerdos, Diaconus, subdiaconus, Acoluthus, Lector, Exorcista, ostiarius, &c.)

(4.) *Statuum parium, nempe Magistratus & conjugij, de quibus infra. Tantum de Ecclesie formâ. IV. Finis est vel Ultimus, gloria Dei, vel intermedius, hominum conversio, Marc: 16. 15. 16. 1. Tim: 4. 16. Act. 9. 15.*

(Errant, qui sine verbi ministerio, S. sanctum hominibus contingere docent, Aug. Conf. Art. 5.)

Effecta Ministerij ex parte mediolorum divinorum, sunt duo: prædicatio, & administratio sacramentorum, cum decenti rituum curâ. I Cor. 14. v. 11. ult.

Adverbi prædicationem, spectat modus administrandi fœderis Dei, de quo supr. cap. xv.

*Ex parte membrorum Ecclesie effecta sunt partim ministrorû, Oratio, & scriptura tractatio per Ἰερθεσι. Luc. 24.
Ἰδογματω οἰσι. 2 Tim. 3. 16.
partim auditorum, ut pauperum cura, & agrotorum visitatio, partim utrorumq, vitæ morumque honesta gubernatio per disciplinam Ecclesiasticam. Tit: 2. 10. Doctrinam servatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

Ad

Adjunctum Ministerij est congregatio Clericorum, quod Concilium appellamus. (Spectat huc etiam dignitas, necessitas, gravitas ministerij.)

CAPUT XXVIII.

De Conciliis.

1. Quid est Concilium?

Concilium est solennior congregatio clericorum, in nomine Christi.

2. Quotuplex est Concilium?

Concilium est duplex: Vel absolutè universale, vel particulare. Absolutè universale, est Episcoporum totius ferè, orbis, congregatio (v.g. Nicenum Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense,) Provinciale, est Episcoporum unius vel alterius Provinciae (Alias dividitur, in Diocesana, & Singulares quoque, quorum hoc, est certa Ecclesiae Presbyterium, de quo Matt: 18. 17. In legitimum, & Illegitimum.)

3. Quæ causæ Conciliorum?

Efficiens, est summus magistratus. (Sic Constantinus Magno dicentem Concilium

convocavit, circa annum Christi. 32. §. Eusebii lib: 3. c. 6. Ruffin: Socrates, Theodor: &c. (Non solus Papa: contra Bellarm:)

Materia. I. Ex quâ, est tota Ecclesia, habito tamen ordine membrorum, Presbyterium, populus. Actor: 15. 22. Visum est Apostolis, presbyteris cum tota Ecclesia. conf. v. 23. Dist. 96. c. 6.

II. In quâ, vel subjectum in quo, est locus liber & tutus. III. Circa quam materia, vel est de credibilibus, vel de ritibus.

Forma Concilij, in subordinatione legitimâ superiorum & inferiorum ad Presidem, & collectione requisitorum legitimi concilij, consistit. Actor. 15. 28. Visum est Spiritui sancto, & nobis. (Spectat huc scriptura sacra, sola norma Conciliorum omnium: E. sai: 8. 19. Ad legem & ad testimonium: &c.

Finis & effectus conciliorum est vera doctrine & ceremoniarum defensio, & spuria doctrina rejectio. (Vide Act: 15.)

4. Quæ adjuncta Conciliorum?

Autoritas (Ea vet. non est summa, sed. restricta ad verbum Domini.) Necessitas
ver.

tas verò conciliorum non est absoluta. (cont: Pont: & Calv: quosd.) Error: (ab eo concilia non sunt immunia: c. Bellarmin:)

CAPUT XXIX.

De Magistratu.

Eutaxias Christianæ pars quarta in Magistratu & Conjugio spectatur.

I. Quid est Magistratus?

Est functio politica, gladio armata, pacis & hominum societatis conservandæ ergo divinitus instituta. contr: Anabapt: & Socin: negantes. Rom. 13. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 2 Chron: 19. 6. Videte, quid faciatis, Non enim homini judicabitis, sed Jehovæ.

2. Quæ Causæ?

1. Deus efficiens prima est Rom: 13. 2.

2. Quisquis resistit &c. Instrumentalis est vocatio, quæ est immediata, ut Moysis & Josue, aliorum: Exod: 3. 16. Num: 27. 18. vel mediata, quæ fit (1) Electione, (2) Successione, (3) Occupatione.

(Rejicitur modus cum vulpinus tum leoninus acquirendi potestatem.)

II. Materia sunt 1. ex qua, persona, in

F

qui-

quibus ἰκανότης, & utriusq; tabular: virtutes, Exod. 17 21. Considera ex omni populo viros fortes, timentes Deum, viros veridicos odio habentes avaritiam, 2. Circa quam (1) personæ subditæ: omnis anima Rom: 13. 1. (2) Resp. nempe & Ecclesia. (3) Deus ipse, cuius minister Magistratus.

III. Forma consistit in potestate politica. Rom: 13. in se & consequentibus, nempe maiestate & eius jure, de quibus Politici.

Horsum spectat ius gladij contra maleficos. Rom: 13. 3. Magistratus terrori sunt malis v. 4. non temerè gladium gestat. Dei minister est, ultor ad iram (contra Socinistas.)

IV. Finis summus est Dei gloria.

Subordinatus bonum publicum, Rom: 13. 4. 1 Tim: 2. 3 vel (1) ἡσυχία tranquillitas. 1 Reg: 4. 15. (2) οὐσεβεία pietas. Es: 49. 23. (3) σεμνότης sive honestas.

Effecta cum fine coincidunt.

3. Quæ adjuncta magistratus?

Adjuncta sunt 1. Necessitas Magistratus. Rom. 3. 15. Necessè est subijci non solum ob iram, sed & conscientiam.

2. SAN

2. Sanctitas & Excellentia, Ps. 82. 6. Dixi, dijestis: & filij excelsi omnes vos.

CAPUT XXX.

De Conjugio.

Quid est conjugium?

Est status alter Ecclesie, sive unius maris & foeminae indissolubilis conjunctio, ad mutuum adiutorium, & sobolis procreationem Gen. 2. 18. Non est bonum, hominem esse solum, propterea faciam ei adiutorium, quod sit coram: eo Matt. 19. 5. Qui duo erant, fient una caro. Itaq; non amplius sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo ne separet.

(Ergo non est Sacramentum, c. Bellarm: lib. 1, c. 1, de Sac: matrimonij.)

Quæ Causæ?

I. Efficiens remota Deus est, Gen. 1. & 2. Matt. 19. 5. 6. 7.

(non igitur stoica sunt conjugia.)

Propinqua est consensus contrahentium, sive approbatio utriusq; sexus personae justae & honestae. Gen. 24. 58. Dixerunt ad Rebeccam visne ire cum viro isto? Et respondit: Ibe illa conditio respicit parentes.

F 2.

Hæc.

Hæc sanguinis reverentiam, debitam obedientiam, Gen: 24. 3.

II. *Materia sunt personæ, quæ considerantur de in se, & comparatè. In se, juxta qualitatem & quantitatem, ut habiles sint conjugio, Habilitas vera hæc est duplex 1. Aptitudinis naturalis ad conjugium. Matt: 19. 12. 2. justæ ætatis: juxta quantitatem, ut sint due personæ, (contr: Polygamiam.)*

Comparatè, ut personarum conjungendarum notetur propinquitas vel status.

Tria hujus cognoscenda sunt instrumenta. 1. Linea, 2. Gradus, 3. Supputatio.

1. Linea est cognatorum series. Estq; recta, vel obliqua.

Recta est ascendens, & descendens.

Ascendens linea numerat personas generatas ascendendo ad superiores, v. à filio, ad patrem, avum, proavum, abavum.

Descendens contrà. De his regula.

Inter scandentes, & contrà, copula nulla est.

Recta linea fuit. Obliqua est quæ numerat personas ab utroq; latere à stipite (patre) ortas, v. cum pater generavit filios, & filias, qui deinde alios generant & alias, & hi distincti.

stinctis gradibus discernuntur. Obliqua est duplex. Aequalis, quae numerat personas duas, vel plures equaliter à communi stipite distantes.

Inæqualis, cum una persona propius ad stipitem accedit; altera verò distat longius.

II. Gradus igitur est mutua personarum distinctio.

III. Supputatio verò est applicatio graduum ad personas, de quarum cognatione queritur. Hinc regule tres potiores.

(1.) Quot sunt personæ, dempto, stipite, tot sunt gradus in linea ascendente; descendente. (iuxta jus Civ: & Canonic:)

(2.) In linea collateralis æqualis, seu inæqualis eadem valet regula, de jure civili.

(3.) In collateralibus: æqualibus alterutra tantum:

In æqualibus verò collateralibus remotior à stipite computatur.

Propinquitatis personarum fuit consideratio: Sequitur status. Omnes conjugio habiles homines. Heb: 13. 4. Honorabile conjugium in omnibus & thorus immacula-

tus. (*Etiā sacerdotes. i Tim. 3. 4. c. Pontifici:*)

III. *Forma est unio illa, vel divina conjunctio in unam carnem, Matt. 19. 6. Erunt duo in carnem unam.*

Huic adversatur divortium, & repudium.

Divortium est dissolutio conjugii confirmati ob adulterium: i Cor. 7. 38.

Repudium est dissolutio matrimonij inchoati ob casum aliquem sponsaliorum. Cypr: de jure Connubij. D. Baldu: de casib: conscientie.

IV. *Finis conjugij i. Dei gloria.*

2. Mutuum adiutorium: & communio rerum omnium, Matt. 19. 5. Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit conjugii suæ.

3. Sobolis procreatio. Gen. 1. 28. Crescite & multiplicamini, & replete terram.

4. Remedium (ex occid:) contra scortationem. i Cor. 7, 2. Propter fornicationes suam quisq; uxorem habeat, & proprium quæq; virum habeat.

Quæ Adjuncta?

Di.

Dignitas, Hebr. 13. v. 7. Conjugium venerabile in omnibus, & cubile impollutum.

2. Crux & molestia. Gen. 3, 16. 17. 18. 19. ubi dolor mulieris, maledictio terrae, sudor mariti praedicitur.

CAPUT XXXI.

De morte & statu animarum post eam.

Status gratiae, in principiis, mediis & subiecto cui, ita fuit: Sequitur status gloria, in quem homo transfertur post hanc vitam. In statu gloriae consideranda sunt. I. terminus à quo inchoatur ipsa glorificatio. II. Antecedentia duo ejusdem glorificationis. III. consummatio ejusdem: Terminus, à quo velut inchoatur Glorificatio, est mors, quam sequitur sepultura, & status animae post eandem mortem.

I. Quid est mors?

Mors est solutio corporis & animae, per privationem vitae in corpore, Philipp: 1. v.

23. Cupio dissolvi & esse cum Christo.

Rom. 5, 12. Per unum hominem pecca-

tum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transit, eò, quod omnes peccaverunt. confer: Genes: 3. 19. Rom: 6. 23. Sapient: 2. 23. (non est inventus anima. 1 Sam: 25. 29. Mat: 10. 28. Luc: 23. 46. neq; hominis abolitio. Sapient: 2. 1. seq: 1. Cor: 15. 32.)

2. Quæ causæ mortis?

Propinqua causa homo est, peccans. (non simplex natura necessitas. c. Photinian.) Remota Diabolus est. Sap: 2. 24. Invidia Diaboli mors introivit in mundum.

Materia mortis ex quâ, nulla est. (Est n. privatio.) materia in, quâ sunt ordinariè omnes homines. Sirach: 14. 18. Hoc fatum ab ævo conditum est: morte morieris, (non mortui, morti tamen aliquid analogon passi sunt Hebr: 11. 5.)

Forma mortis est ipsa dissolutio permanens anime & corporis, (sicut vitæ dicitur permansio in carne, Philipp: 1. 24.)

Finis est irrogatio pœnæ. Rom: 6. 23. Stipendium peccati mors est: respectu impœnitentium: Pœnitentium v. mors, est janua
ad

ad vitam. Iob: 5. 24. radicis peccati per cinerem
nefactionem deletio Rom: 6. 7.

3. Quæ adjuncta mortis?

Adjuncta mortis tria sunt I. *Tempus*,
quod est vite terminus. Iob. 14. 5. Definita
sunt dies ejus [hominis,] numerus mensi-
um ejus tecum est: conf: Sap: 4. 10. 2.
Sam: 18. 14. Gen: 38. 7.

(Igitur, non est fatalis, vel Stoicus: Actor: 27, 31.
Jerem: 42, 29. neque Epicureus, Sap: 2, 1.)

II. *Numerus*, quod una sit cuilibet homi-
ni. Heb: 9. 27. Illud manet homines, ut
semel moriantur.

III. *Sepultura*. Sirach: 38. 6. Non despi-
cias sepulturam ejus. [mortui.] Genes. 23.
19 Abraham sepelivit Saram. (contra bar-
bariam Ethnicam, sepulturae negligentem.)

IV. *Status animarum vel custodia duplex*
est: Vna est beatitudinis in sinu Abrahae,
& dexterâ Dei, Sap. 3, 1. Justorum animæ
in manu DEI sunt: nec attingit eos cru-
ciatus. Confer. Iob: 14. 2. 2 Cor: 5. 1 Hebr:
12. 22. Τοπὸς hujus beatitudinis non est re-
velatum. (contra somnium animarum, So-

cin. Anab: Altera custodia est damnationis in inferno, (de quo in sequent; non intereunt anime impiorum, contra Socin;) non apparent anime, Luc. 16. 27. Esa. 8. 19. Dent. 28. 11. Scientia animarum non est divina. 1 Reg. 8. 29 neq; singularium rerum: Esa. 64. 16. Eccles. 9. 4. Job. 14. 21. communium tamen aliqua. August. Confess. ex Apoc. 5. 8. Opera piarum animarum sunt: Deum laudate, & persecutores accusare: Apoc. 4. 20. c. 6, 9. 10. Impiarum animarum opera sunt, dolere de miserrimo statu. Sap. 5. v. 2. Luc. 16. Apoc. 6. 16. 17. c. 16, 10.

Hactenus terminus à quo glorificationis fuit.

CAPUT XXXII.

De Resurrectione mortuorum.

Antecedentia duo Glorificationis sequuntur, nempe Resurrectio mortuorum, & Judicium extremum:

1. Quid est Resurrectio mortuorum?

Resurrectio mortuorum est eorundem ex pulvere terra revocatio, & excitatio ad vitam eternam. Joh. 5, 28. Venit hora, in qua

quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ: qui v. mala egerunt, in resurrectionem Judicii. c. 6, 40. Ego resuscitabo eum (*credentem in me*) in novissimo die. Confer. Job. 19, 25. Dan. 12, 2. Job. 11, 25. I Cor. 15. per tot: (*soli ex scripturâ nota, non rationi obvia, Act. 17, 18, 20. c. 26. 24.*)

Quæ Causæ?

Causa efficiens resurrectionis est tota S. Trinitas. Pater, Filius, S. sanctus. (Opera in ad extra indivisa.) Rom. 8, 11. v. 11. Si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum, &c, Rom. 4, 17. Abraham credidit Deo, vivificanti mortuos. Angulis in hoc actu duplex est ministerium. Primum est tubæ clangor: clangor: Secundum est mortuorum collectio: Matt. 13. 41. Mittet Filius hominis angelos suos, & (11.) colligent e regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, I Theff. 4. 16. Ipse Dominus cum hortationis clamore, & voce Archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo.

Materia vel est subiectum quod, vel quò. Subiectum quod, est omnis homo, (Etiam impij. c. Socinist:) Iob: 5. 28. Omnes, qui in monumentis &c. Daniel: 12. 2. Matth: 23. 32. Subiectum quo, est corpus idem hominis numero, quod cecidit. (non novum, quâ substantiam. c. Soc:) non corpora brutorum. Iob: 19. 26. In hac carne mea videbo. Ut Christus corpore suo, numero eodem resurrexit: sic & nos; 1 Cor: 15.

Forma Resurrectionis interna, est in ipsa corporis & anime reduntione, ad unionem, morte solutam, redintegrandam. 1. Reg: 17. 22. Reversa est anima pueri in interiora sua & revixit.

Externa est ordo resurrectionis. 1 Thess: 4, 15. 16. Mortui in Christo resurgent primum. Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aëra. Conf. 1 Cor. 15. 52. Immutatio hæc vivorum morti erit analoga.

Finis resurrectionis. 1. Piorum, ut cum Domino fiat, 3 Thess: 4. 1. semper cum Do-

Do-

Domino erimus Philipp. 1, 23. Desidero migrare & esse cum Christo. Dan. 12. v. 2.
Multi in vitam aeternam evigilabunt.

II: Impiorum, mors aeterna, de qua infra.

CAPUT XXXII.

De Iudicio extremo.

Resurrectionem mortuorum excipit Iudicium extremum, alterum plenarie Glorificationis antecedens.

1. Quid est Iudicium extremum?

Iudicium extremum est actus judicialis, quo Christus credentes juxta Evangelium absolvet & incredulos juxta legem damnabit.
Act: 17. 31. Deus statuit diem, in quo judicaturus est orbem in iustitia, per virum, per quem decreverat. Rom. 2. 5. DEUS in die irae & revelationis iusti iudicii reddet unicuique secundum opera sua. Ecclesiast: 12, 13. Cuncta, quae fiunt, adducet Dominus in iudicium, etiam occulta, sive bona sint, sive mala.

2. Quae causae iudicij huius?

Efficiens, iudicij, quae actus visibilis, est

F7

Chri-

Christus etiam iuxta humanitatem, auctoritate vè. Ioh: 5. 22. non executive tantum, (non excluso patre aut S. sancto. Esai: 33. 22. Iob: 8. 50. Esai: 4. 4.) Matth: 25. 32. 33. Cum venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super thronum gloriæ suæ: Et cogentur coram eo omnes gentes.

Instrumentales sunt angeli, qui congregabunt homines, congregatos discriminabunt. Matt. 24. 31. Cogent (angeli) electos ejus à quatuor ventis. Apostoli & sancti erunt in hoc iudicio, 1. Assessores. 2. Testes. 3. Convincentes impios. Sapient. 5. 3. Luc. 22. 30. I. Cor: 6. 2. Matth: 19. 28.

Impellens internæ iudicij est DEI iustitia, 2. Theß: 1. 6. Justum est apud Deum, vicissim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem. v. 7. Vobis v. qui affligimini, relaxationem, nobiscum, cum patefiet Dominus Jesus de coelo.

Externa, hominum iniquitas summa, & peccata Matth: 24. 37.

Causa dirigens erit norma iudicij, cum Lex.

Lex. tum Evangelium, (sano & diverso respectu.) Iob: 12. 48. Sermo, quem locutus sum, iudicabit eum (incredulum) in novissimo die.

Materia circa quam, est vel Personalis, vel Realis. Personalis materia sunt omnes homines, & angeli. 2 Cor: 5. 10. Omnes manifestari nos oportet, ante tribunal Christi, Apoc. 20, 12. Vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu DEI. Iudae: v. 6. Angelos ad iudicium magni illius diei reservavit vinculis aeternis sub caligine.

Materia realis. est prima. vel orta à primâ. Prima est infidelitas, fons & mater omnium peccatorum. 2 Thes: 1. 8.

Orta à prima est quævis malitia, aperta, vel occulta.

Materia ex quâ sunt partes iudicij, nempe. 1. Christi sessio & patefactio. 2. Omnium hominum congregatio, 3. Eorundem separatio, 4. Sententia prolatio, 5. Executio.

Forma iudicij hujus in coagmentatione horum actuum consistit.

Finis

Finis est triplex. I. Iustitiæ divinæ declaratio. 2 Thes: 1. 6. & regni Christi consummatio. 1 Cor. 15. 54. Cum hoc corruptioni obnoxium induerit incorruptionem & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet illud, quod scriptum est: Absorpta est mors in victoriam. v. 18. Deus erit omnia in omnibus.

II. Hominum remuneratio, vel ex gratia, vel ex iustitiâ. 2 Cor. 5. 10. Unusquisque reportat, quæ in corpore [recipiat] prout fecerit, vel bonum vel malum.

III. Creaturarum liberatio à vanitate Rom. 8. 21. Res creatæ vindicabuntur ex servitute interitus, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

3. Quæ adjuncta iudicii?

Adjuncta Iudicij extremi sunt. I. Accessus Christi inopinatus, temporis particula incognitâ. 1 Thes: 5. 2. Dies ille Domini ut fur in nocte, venturus est. Quum n: dixerint: Pax, & tuta omnia, tunc repentinum eis imminet exitium, sicut dolor partus mulieri Conf. Matt, 24. 36. Act. 1. 7.

II.

II. *Variâ precedentia signa, ut sunt (I) Ecclesiastica. v. Evangelij predicatio Oecumenica. Matt: 24. 24. hominum securitas. Matt. 24. 37. Apostasia à fide 1 Tim: 4. I. maxime revelatio Antichristi. 2 Theß: 2. 3. persecutio pieorum Matt: 24. 9. (II) quedam etiam in polo v. Eclipses frequentiores in Sole, Lunâ. Marc: 13. 17. Luc. 21. 26. Tempestates permagne. Luc. 21. 25. (III) quedam in Solo v. Anxietas gentium Luc: 21. 25. (IV) quedam in salo, Luc: 21. 25. Resonante mari & salo.*

III. *Dilatio judicij hujus. 2Pet. 3. 9. Non tardat Dominus, qui promisit [ut nonnulli tarditatem hanc esse ducunt] sed patiens est erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere. Apoc. 6. 11. Dictum est eis [animabus] ut requiescerent adhuc paululum temporis, usque quò compleantur etiam conservi eorum & fratres eorum, qui trucidandi sunt, sicut & ipsi.*

IV. *Locus judicij non est determinatus in sacris. (contra vallem Iosaphat, à Pontificijs judiciis huic destinatum.)*

CA:

CAPUT XXXIII.

De vitâ æternâ & inferno.

Terminus à quo Glorificationis, & ejusdem duo Antecedentia ita fuerunt: Sequitur jam ipsius dem Consummatio in vitâ æternâ, cui infernus opponitur.

I. Quid est vitâ æternâ?

Vita æterna est ineffabilis status gloria, in aggregatione omnium piorum, & remotione omnium malorum consistens. Rom: 2. 7. Iis, qui præstant, boni operis gloriam, & honorem, & immortalitatem (reddet) qui quærunt vitam æternam. 1 Cor. 2, 9. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus illis, qui ipsum diligunt.

2. Quæ causæ vitæ æternæ?

Efficiens princeps est S. S. Trinitas 1 Cor: 13. 18. Deus (erit) omnia in omnibus. Christus singulariter, ratione meriti & efficacia. 2 Tim: 1. 10. Servator noster Jesus mortem abolevit, & vitam in lucem produxit, ac immortalitatem per Evangelium
lium

lium: Joh. 10, 38. Ego vitam æternam do-
cis (ovibus.)

(non merita hominum, contra Pontifici:)

*Materia vite æternæ: 1. Ex quâ est ipsa
felicitas æterna: Estq; vel interna, vel ex-
terna. Interna primaria est Dei visio 1 Ioh:
3. 2. Videbimus eum (Deum) sicuti est 1
Cor: 13. 12. Tunc videbimus à facie ad fa-
ciem. Interna felicitas accessoria est gloria
animæ & corporis. Anima gloria in Dei
perfectâ cognitione, cogniti dilectione, dile-
cti delectatione consistit. 1 Cor: 13. 12.
Nunc cognosco ex parte, tunc v: cogno-
scam, prout edoctus fuero, Joh. 16. 22.
Rursum videbo vos, & gaudebit cor ve-
strum, & gaudium vestrum nemo tollet à
vobis.*

*Corporis gloria in dotibus consistit. Do-
tes corporis sunt vel positiva, v. Spirituali-
tas, gloriositas, subtilitas, agilitas, consero-
mitas cum Christi corpore. 1 Cor: 15. 42.
43. Seminatur corpus corruptioni obno-
xium, suscitatur incorruptum: Seminatur
ignominiosum, suscitatur gloriosum.
Phil. 3. 21. Christus transformabit corpus
no-*

nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso (κατὰ τὸ ποῖον, non πῶσον.)

Externa felicitas, est in societate suavissima, Dei angelorum, piorum, inq; habitatio-
ne pulcherrimâ, & malorum omnium
remotione Hebr. 12, 22. 23. Accessistis ad
montem Sion, & civitatem Dei vivi Hie-
rusalem cœlestem & innumerabilium an-
gelorum conventum: Et concionem pri-
mogonitorum, qui conscripti sunt in cœ-
lis. Apoc. 21. 4. Absterfurus est Dominus
omnem lachrymam ab oculis eorum.
(credentium) & mors amplius non exta-
bit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor
extabit amplius; quia prima abierunt.
(Dantur gradus huius gloria) Daniel: 12. 3.

II. Materia, vel objectum cui sunt, electi
utriusq; sexus Rom: 11. 7. 1 Pet: 3. 7.

Finis vite æternæ. I. respectu Dei est laus
bonitatis & misericordie divine Apoc: 22.
3. Nullum maledictum erit amplius, sed se-
des Dei & agni in eâ erit & servi eius ser-
vient ei. Et videbunt faciem eius & nomen
eius in frontibus ipsorum erit.

II. *Respectu hominis est ereptio ex omni malo & plena restitutio imaginis Dei.* 2 Tim. 4. 18. Eripiet me Dominus ab omni malo & servabit in regnum suum coeleste. Esai: 35. 10. *Letitia perpetua erit super caput ipsorum: gaudium & letitiam apprehendent, fugientq; tristitia & gemitus.*

3. *Quodnam consequens, vel connexum hujus glorificationis?*

Duplex. I. Seculi consummatio II. Damnatio impiorum ad infernum. Seculi consummatio est mundi hujus abolitio & totalis diletio, cum liberatione creaturarum à vanitate conjuncta. 2. Pet: 3. 10. *Die illo Domini cœli, cum stridore præteribunt, elementa v. æstuantia solventur, terraque & quæ in eâ sunt, opera exurentur, Ps. 102. 26. Antea terram fundasti & opera manuum tuarum sunt cœli. v. 27. Ipsi peribunt, tua permanes.*

II. *Damnatio impiorum ad infernum.* Matth. 25. v. 41. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus, Esa. 66. v. 24. Vermis eorum non mori-*

moriatur, & ignis ipsorum non extinguetur, eruntq; opprobrium omni carni: 2 Theff. 1. 9. Impii, pendent pœnam æterno exitio, à præfente Domino, & potente ipsius gloriâ (*Nullum datur purgatorium, vel limbus. c. Pontific.*) Apoc. 22. 15. Foris erunt canes, & venefici, & scortatores, & homicidæ, & Idololatræ, & quisquis amat ac committit mendacium. *π̄ Inferni S. sanctus nobis non revelavit. c. Pontific.*

4. Quænam harum pœnarum adjuncta?

Duo sunt I. Atrocitas, quam variis comparationibus Scriptura adumbrat: (Ignis. Matt: 3. 12. Tenebrarum c. 22. 13. &c.)

III. Æternitas: Matt: 3. 12. Paleam exuret igni inexstinguibili: (Christus) (contra Origenem.)

Haec tenus de quarto statu hominis, qui est Glorificationis, & consummationis seculi.

Tantum de Primâ parte S. S. Theologiae, quæ est de Fide.

FINIS. LIBRI PRIMI.

620249



LIBER II.

Breviarij Theologici.

CAPUT I.

De vitâ sincerâ vel fructi-
bus fidei.

Sequitur altera, in vitâ sincerâ vel fructibus fidei, sive bonis operibus, quæ considerantur in genere, vel in specie, In genere, quoad definitionem, & resolutionem.

Quid sunt Bona opera?

Sunt fructus fidei vel actiones à Spiritu S. ex fide, à regeneratis effectæ ad normam Legis, Dei gloriam & proximi salutem. Ephes. 2. 10. Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Philip. 1. 11. Impleti fructibus justitiæ, per Jesum Christum, in gloriam & laudem Dei.

(Opus

(Oppos: honorum sunt, peccata quævis è concupiscentia prava orta de quâ sup: Dicuntur aliâs. Opera tenebrarum, mala opera, fructus mali. Matt: 7. 18, Rom: 13. 12.

Quæ Causæ?

Efficiens remota & primaria est S. Sanctus, docendo bona opera, & regenerando hominem. Rom. 8. 14. Hi sunt filii Dei, qui spiritu Dei ducuntur. Gal. 5. v. 16. Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis.

Secundaria & propinqua est homo regeneratus. 1 Cor: 3. 9. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis (non vires liberi arbitrij.) Hujus respectu opera bona semper imperfecta sunt. Sirach: 27. 5. Quemadmodum in percussura cribri remanebit pulvis; sic aporia hominis in cogitatu illius.

Instrumentalis est verbum Dei, ut semen 1 Pet: 1. 23. Lex preparativè & directivè: Evangelium perfectivè:

Hinc distinctio inter opera legis & gratiæ, August:

Materia est præscriptum legis de vine,
Deus:

sincerâ vel fructibus fides.

13

Deut. 12. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino : nec addes quidquam, aut minuas.

(Non propria intentio vel institutio humana, Esa. 29. 14. Matt: 15. 9. Coloss: 2. 23. contra opera supererogationis, quorum norma fingitur consilium humanum de perfectione.)

Circa quam sunt Deus, homo, quorum utrumque circa, bona opera occupantur & exercentur.

In qua, est homo regeneratus. Tit: 2. 12. Sobrie, justè, piè vivamus in hoc seculo.

Forma est duplex 1. Legalis, qua est conformitas operum ad Dei ledem, vel ἐν νόμῳ. 2. Evangelica est fides, quâ sine bona legaliter opera, mala fiunt juxta Evangelium.

Rom. 14. v. ult: Omne, quod non est ex fide, peccatum est.

Hebr. 11. 6. Impossibile est placere Deo sine fide.

(Contra Gentilium bona opera)

(Utraq; hæc forma in omnibus bonis operibus conjuncta sit, non separata, c. Pontific:)

Finis I. respecta Dei Patris glorificatio.

Matt. 5. 16. Sic luceat lux vestra coram

G

ho-

hominibus, ut videant opera vestra bona: & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. 1 Cor. 10. 31. Sive edatis, sive bibatis, sive aliud quid faciatis; omnia in gloriam Dei facite.

2. *Nostri respectu* (1) *Confirmatio Electionis.* 2 Petr. 1, 10. Studete, ut per bona opera firmam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

(2) *Proximi edificatio, & scandali aversio,* Tit. 2, 8. c. 3, 8. Volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus.

(Non justificatio nostri per ea, nec satisfactio: vide supra de justific: contra merita. c. Socinian: contra Gentiles.)

(3) *Fidei restitucio.* (non conservatio.) *Hæc n. fidei est.* Rom. 5. 1. c. 11. 20. Coloss. 1. v. 23.

Quæ adjuncta bonorum operum?

1. *Necessitas est* (1) *Conscientie.* (2) *Cultus,* (3) *Debiti,* (4) *Ordinis,* (5) *Præsentia, non salutis efficientia,* Actor. 24, 16. Ipse

Ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper, (*non est hic necessitas coactionis.*)

2. Imperfectio est (1) à natura hominis vitiata, (2) à lege rigidissima, cui opera sunt à *σὺμμελέγ.* Rom 8,3. Id quod impossibile erat legi.

3. Complacentia per fidem in Christo. Malach. 3,4. Placebit Domino sacrificium Juda & Jerusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui: Hebr. 13. 16. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. (*placent, non placant.*)

3. Libertas qua oritur à spontaneo spiritu. Ps. 110,3. Populus tuus, populos spontaneitatum.

5. Utilitas bonorum operum, Tit. 3. v. 8. *Hec (opera bona) sunt bona & utilia hominibus.*

(Quæ fit perniciēs, per accidens, nempe ob fiduciam & meritum, operibus adscriptum; Philip. 3, 17.)

6. Præmia operum, quæ vel generaliter omnibus credentibus v. generalia Dei beneficia

ficiā in Evangelio proposita: vel Specialia, quae nec eadem, nec equaliter omnibus piis dantur, sive D. Inter vitam aeternam, quae fidei datur. Rom: 6. 23. Ephes: 2. 8. & eius gradus 2 Cor: 4. 17. Vtrumq; gratuitum est. (contra merita Pontificia.)

CAPUT II.

De Cultu primi praeccepti.

Haecenus Bona opera in genere. In specie bona opera in cultu, vel charitate Dei, & charitate proximi elucescunt.

I. Quid est cultus Dei?

Cultus Dei est charitas primae tabulae, de colendo uno Deo. Exod: 20. 3 Non habebis Deos alienos coram me.

Opposita est idololatri. Gal: 4. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturam non sunt Dii, serviebatis.

Atheismus, Psal: 14. 1. Dixit insipiens in corde suo; Non est Deus.

Cultus verò vel est primus, vel à primo ortus.

Cultus primus est in tribus virtutibus cardinalibus, Fide, Spe, charitate, cum partibus.

bus. 1 Cor: 13. 13. Manet Fides, Spes,
Charitas.

2. Quid est fides?

Fides est prima pars cultus primi, notitiâ,
assensu, & fiducia constans. Esa: 53. 11. In
îcientiâ sui justificabit ipse justus servus
meus multos. confer Jerem: 9, 24. Iob:
17. 3.

Opposita fidei (1) quâ notitiâ est, est (1)
ignorantia Dei, (2) Heresis. Tit: 3. 10.
Hæreticum hominem post unam alteram
ve admonitionem de vita. (2.) quâ fidu-
cia est, Magia, Apostasia, Confidentio in Cre-
aturis, Diffidentia & Dubitatio de Deo, su-
perstitio Deut: 18. 11, Cultus electivi, Matt.
15. 9. Colos: 2. 22.

3. Quid est Spes?

Est altera pars cultus primi, estque habi-
tus ἰσοδοῦς, quo voluntas fertur in bo-
num futurum, à Deo promissum. Psal: 37.
5. Revela Domino viam tuam, & spera in
eo, & ipse faciet. Rom. 5. 5. Spes non con-
fundit.

Ex spe oritur Patientia & Humilitas,
Hebr:

Hebr. 10, 36. Patientia vobis necessaria est.
1 Petr. 5, 7. Humiliamini sub potente ma-
nu Dei.

*Oppositum eius est Desperatio & securi-
tas, Hebr. 10 39. Nos non sumus filij sub-
tractionis in perditionem.*

4. Quid est Charitas?

*Est tertia pars cultus interni, habitus ἡ
ἀσδοῖα, quo Deo debitum prestamus.
Deut. 6, 5. Diliges Dominum Deum tuum,
ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &
ex tota fortitudine tua. Mich. 6, 8. Indica-
bo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid
Dominus requirat à te: Utique facere ju-
dicium, & diligere misericordiam, &
humiliter ambulare coram Deo tuo. 1.
Tim. 1, v. 5. Finis præcepti est charitas, de
corde puro & conscientia bona, & fide
non ficta.*

*(Effectum charitatis est amare Deum: (cui
opponitur sui ipsius & creaturarum amor.
1 Joh. 2, 15. Nolite diligere mundum ne-
que ea, quæ in mundo sunt. Charitas in
gradu intento Zelus est. Num. 25, v. 8. Psal.
69, 12.)*

Oppo-

Oppositum charitatis est Dei odium, securitas Carnalis, Superbia, Impatientia. Ps. 36, 1. Non est ante oculos ejus [injusti] timor Dei.

CAPUT III.

De cultu orto, juxta II. præceptum.

Cultus Dei primus ita fuit: Ortus à primo sequitur, II. & III. præceptis, in religiosis actibus.

Actus Religiosus est cultus ortus, soli Deo competens. Estq; vel Professionis, vel exercitij.

Professionis actus Religiosus est duplex, 1. Reverentia erga Dei nomen, 2. Oratio.

1. Quid est Reverentia?

Est actus religiosus professionis nomen Domini non in vanum, sed rectè sumens. Exod. 20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum:

Opposita sunt, Blasphemia, Levit. 24, 16. Imprecatio, Job. 3. Jerem. 15. superstitio, Astrologia, torpor in rebus Sanctis.

2. Quid est Oratio?

Est actus religiosus, Deo mentem nostram
in nomine Iesu Christi revelamus cum desi-
derio rei obtinenda, Ps: 17. v. 1. Tim: 2. 1.

Subicitur Orationi Juramentū, Sors, Vota.

Juramentum est petitio divini testimonij
ad finem controversie, Heb: 6. 13. Huic op-
ponitur Perjurium (contr: Anabaptistas.)

Sors est petitio divini testimonij, in even-
tus directione patofacti Prov: 16, 33. Act: 17,
1, 23. (Opponuntur sortes Iuloriae, alea,
taxilli & cæcæ.) Votum: Est nuncupatio rei
licite & possibilis, Deo gratitudinis ergo fa-
cta: (contra vota monastic:) Adjunctum o-
rationis jejunium est, de quo 1. Cor. 7, 5. Joel:
2, 15. Est q̄ publicum vel privatum: 2. Chron:
20, 3. Esther. 4, 16. Iudic: 20, 23. Daniel: 10.
3. (opponitur Pharisæicum.)

Opponitur Orationi I. neglectus ejus. II.
Incantatio magica. III. Omnes abusus no-
minis divini per divinationes varias. Esa:
47. 13. Act: 19, 18. & consecrationes Magi-
cas. IV. βαττολογία & πολυλογία. Matt:
6. 7.

CAPUT IV.

De pietatis actibus tertij præ-

cepti.

Actus

Actus pietatis Religiosus secundo præcepto imperatus in professione ita fuit: sequitur actus pietatis exercitij, qui est Sabbathi sanctificatio in qua pietas I. & II. præcepti potissimum & solenniter exercetur: Exod: 20. Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.

I. Quotupliciter hi actus considerantur?

Dupliciter vel generaliter: vel specialiter: Generaliter sanctificatio est operum communium omissio & operum sanctorum (quor vel ad actus conservationem, vel pietatem vel necessitatem vel charitatem proximi spectantur Matt: 12, 5. Actor: 1, 12 Actor: 20, 9. Luc: 24, 5. Marc: 12, 11. fructio die Dominico & festis. (Peccant hic. 1. Otiosi plane, nihil agentes die Sabbatho (2.) Opera externa vocationis facientes nisi iubeat extrema necessitas. (3.) opera Idolatrica exercentes. Nehem: 13, 16. [4) Opera Politica. v. Nundinationes. Nehem: 13, 15. Vedtiones. Exod: 34, 21. Jerem: 17, 27. (5) Opera voluptuosa. Hellnationes choreæ. (6) Hypocritica observatio Sabbathi. Esai: 1, 14. (7) Epicurei, Sabbathi planè negligentes.

2. Qui sunt actus speciales hujus sanctificationis?

*Actus speciales sanctificationis sunt vel I.
in choro. II. Foro. III. Thoro.*

*In I. choro conjunctim Auditorum &
pastorum actus sunt (primus) Pia ad san-
ctificationem Sabbathi preparatio, Ps. 5, 4.
Manè præparato tibi orationem, & specu-
labor.*

*(Peccant. I. Frigidi preparatores (2)
Helliones & commessatores pridiani.)*

*Secundus: Cætuum frequentatio, Heb.
10. v. 25. Non deserentes aggregationem
nostri mutuam, sicut mos est quibus-
dam.*

*Tertius: Verbi meditatio, & sacra-
mentorum usurpatio, Deut. 6. 7. Repetes
ea (verba) filiis tuis, & loqueris de eis,
quando sedebis in domo, & quando am-
bulabis per viam.*

*Quartus: Operum charitatis exercita-
tio, (in colligendis Eleemosynis, & exhor-
tando proximo, verbis, colloquiis piis, & ex-
emplis, egrotos invisendo.) de his. Gal. 6, 6.
1 Cor. 2, 14, 6, 11, 20, & 22.*

Separatim actus sanctificationis considerati, sunt vel Pastorum, vel auditorum.

Actus sanctificantes Sabbathum, Pastorum sunt: I. Verbi prædicatio, 1 Pet. 4, 11. Si quis loquitur, loquatur, ut eloquia Dei, Confer Act: 13, 14.

II. Sacramentorum administratio, & clavium usurpatio. 1. Cor. 11. v. 23. Matth. 16. v. 19.

III. Oratio pro suis auditoribus. 1 Sam: 8. 6. Ephes. 3. 14. 16. Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi, &c. ut det vobis pro divite suâ gloriâ, ut fortiter corroboremini per spiritum suum, in interiori homine.

Auditorum actus sanctificantes Sabbathum.

1. Congressuum publicorum frequentatio, Hebr. 10. 25.

2. Prædicati verbi cum reverentiâ acceptatio, & meditatio. Act. 17. v. 11. Berthöenses scrutantes quotidie scripturas.

3. Usurpatio sacramentorum. 1 Cor. 11, 20. & 22.

4. Operum charitatis & humilitatis exerci-

exercitatio, cum erga omnes, tum erga fidei
domesticos & ministros Gal, 6, 6. vide q. 2.

3. Quomodo in foro sanctificatur Sabbatum?

Magistratus curâ, ne quò pacto violetur
Sabbatum. Nam Magistratus est custos
utriusq; tabulae.)

4. Quomodo in foro?

Sanctificatur Sabbatum, per preceden-
tes actus generales quibus in specie accedat.

1. Enarratio eorum, quae audivimus, filiis
& familiae facta: Genes: 18. 19. Novi eum
(Abraham,) propterea praecipiet filiis
suis & domui suae post se. confer Ps: 38, 5.

2. Cessatio servilium laborum. Exod:
20. ne eiusmodi Patres vel Matres famili-
arum suis injungant domesticis.

(His singulis singuli actus vitiosi opponun-
tur, per quos Sabbathi inducitur profana-
tio.)

CAPUT V.

De charitate in genere.

Secundae tabulae, & in specie de IV.
pracepti.

Cha-

Charitas primæ tabule erga Deum ita fuit: Sequitur charitas erga proximum, secundæ tabule.

1. Quid est charitas erga proximum?

Charitas est habitus θεόςδεσ, quo proximo iuste, nobis sobrie vivimus. Tit. 2. 12. Abnegata impietate & secularibus desideriis, sobriè & iustè, & piè vivamus in hoc seculo Rom. 13. 8. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit.

2. Quotuplex est hæc charitas?

Duplex est n. hæc charitas: vel gradus summi, vel sub ordinati Charitas gradus summi est, quæ in omnibus præceptis subternitur, ut fundamentum omnium virtutum Christianarum. (cui mala concupiscentia opponitur.)

Charitas gradus sub ordinati ea est, quæ præceptis quarto, quinto, sexto, septimo, octavo, præcipitur. (Igitur de hæc distinctè agendum.)

3. Quotuplex est charitas gradus subordinati?

Charitas gradus subordinati versatur vel

circa inferiores & superiores, vel circa homines aequaliter spectatos.

Charitas versans circa homines inferiores, & superiores, precipitur quarto precepto. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut benè sit tibi, & sis longævus super terram. Charitas igitur huius precepti est ea virtus, quâ suum superiores inferioribus, & hi illis tribuunt debitum in choro, foro, thoro.

4. Quinam sunt actus charitatis huius in choro?

Actus huius charitatis in choro sunt: I. Superiorum, II. Inferiorum.

Superiorum v. Pastorum, & ministrorum actus, & officia jam c. 4. descripta sunt. Inferiorum similiter, Ibidem.

5. Quinam sunt actus charitatis in foro?

Actus charitatis hoc precepto imperati magistratui, sunt [1] Pietatis & gloriæ DEI propagatio, cuius effectus est abolitio falsi cultûs, & nutritio Ecclesie, (2.) Exemplaris edificatio, & honestatis conservatio. 1 Tim: 2. 2. Quietam & tranquillam

viram agamus (*Scilicet sub magistratu*) in
omni pietate & castitate.

*Subditorum v. hi sunt actus: [1] Obædien-
tia, [2] Reverentia, [3] Pensio tributorum.*
Rom. 13. v. 5. 6. Subditi estote, non solum
propter iram, sed etiam propter consci-
entiam. Ideò enim & tributa præstatis, v. 7.
Reddite omnibus debita, cui tributum,
tributum, cui vectigal, vectigal, cui hono-
rem, confer 1 Petr. 2, 13.

6. Quinam actus charitatis in thoro?

Sunt distincti pro diversitate societatum.
Est n. societas I. γαμικὴ, nuptialis II. Socie-
tas πατριανή, vel patria, III. δεσποτική,
vel herilis.

7. Quinam actus charitatis in
Conjugio?

*Actus hic quidam sunt communes utriq[ue]
conjugum, ut Amor mutuus, ex quo toleran-
tia efflorescit, & fidelitas pudicitie conjugio-
alis. Educatio liberorum. Ephes: 5. v. 25.
Viri diligite uxores vestras, sicut & Chri-
stus dilexit Ecclesiam, v. 22, Mulieres viris
suis*

suis subditæ sint, sicut Domino. c. 5. v. 4.
 Educate (*Patres*) filios vestros in disci-
 plinâ & correptione Domini. *Quidam*
sunt proprii, nempe vel marito, vel mari-
tæ. Marito proprii actus sunt: (1) Com-
municatio nominis, dignitatis, & familiae,
(2) πρῶγυνοια uxoriam, (3) επιεικεια. Malach.
2, 14. & 16.

Maritæ proprii actus: sunt (1) Reveren-
 tia, obædientia, & cultus, marito præstan-
 da. Gen. 3. v. 16. Sub viri potestate eris,
 & ipse dominabitur tibi. 1 Pet. 3. 5. Sanctæ
 mulieres, sperantes in DEO, ornabant se
 propriis viris subiectæ.

(2) οἰκονομια & rei familiaris cura. Prov.
 31, 13. Quæsiuit fortis mulier (v. 10) lanam
 & linum, & operata est consilio manuum
 suarum. v. 14. facta est quasi navis instico-
 ris, de longè portans panem suum. confer.
 1 Tim. 5, 12. 13. 14.

8. Quinam actus inter Parentes & filios?

Actus parentum: sunt (1) *Euducatio.*
Ephes.

*Eph: 6, 4. vid: 9. 7. (2.) Amor & Φιλ^o508-
yia in liberos. (3.) Nutritio. 1. Tim: 5. 8.
Si quis suorum, maximè domesticorum,
curam non habet, fidem negavit, & est in-
fideli deterior.*

*Actus liberorum sunt (1.) Reverentia.
Exod: 20. Honora Patrem tuum &c. (2.)
Obedientia, Ephes: 6. 1. Filii, obædite pa-
rentibus vestris in Domino: hoc n: justum
est. (3.) Gratitude. Sirach: 3. 15. Eleemo-
syna Patris non erit in oblivione. [Parenti-
bus tutores & præceptores accensentur,
quorum officia ysdem actuum limitibus de-
finiuntur: Item seniores & juvenes.]*

9. Quinam sunt actus in societate herili?

*Actus vel officia herorum sunt. Ephes: 6,
9. Vos Domini eadem facite illis. (servis)
remittentes minas, scientes, quia & il-
lorum & vester Dominus est in cœlis,
& personarum acceptio non est apud
eum.*

*Servorum v. hæc sunt. Ephes: 6. 5. Servi
Obæ-*

Obcedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. *conf: 1 Tim. 6, 1. Ephes. 6. 7, Tit: 2, 9. Luc. 12. 36. 42. Tit: 2, 9. 10. Prov. 13, 17. c. 14. 35. c. 17. 2. Sir: 10. 28. (His igitur alijsq; consimilibus actibus, honor illo preceptus à Iehova consummatur, quibus vitiosi opponuntur, facile diiudicandi è virtuosis.)*

CAPUT VI.

De charitate quinti præcepti:

Charitas gradus subordinati, erga superiores & inferiores occupata sic fuit: Sequitur charitas circa homines, equaliter consideratos, versans. Estq; duplex: Vel enim versatur circa proximi personam, vel bona.

Circa personam proximi, versatur hac charitas, cum in sua & proximi vitâ tuenda, tum puritate & statu conservando.

Circa vitam hominis occupato charitas, est Humanitas, (vel Iustitia particularis.)

I. Quid est Humanitas?

Humanitas est charitas, ad vitam & tranquillitatem, cum propriam, tum proximi,

tuendam inclinans. Exod. 20. Non occides: Gal. 5. 22. Fructus spiritus est charitas. Col. 3, 12. 13. Sitis induti, ut electi DEI. sancti & dilecti, visceribus miserationum, benignitate, modestia, mansuetudine, lenitate, tolerantes alii alios.

2. Quotuplex est hæc humanitas?

Duplex est Humanitas. Prima, quæ ad nos ipsos refertur, ad vitam tranquillitatemq; nostram conservandam.

Estq; vel temperantia vel fortitudo.

3. Quid est temperantia?

Temperantia vel sobrietas, est humanitas, quâ in nutriendo corpore rectitudinem servamus: (de quâ ad præcept. vi.) Rom: 13. 14. Carnis curam ne feceritis in desideriis. Sir. 37. 34. Multi aviditate insatiabili ciborum interierunt: at qui attendit, vitam prorogabit. Hujus varij sunt actus: Cura tuenda valetudinis, Sirach. 38. 4. in usue medicaminum vita frugalis: &c.) Oppositum Intemperantia. Comestiones. Rom: 13. 13.

4. Quid est fortitudo?

Fortitudo est humanitas, quâ homo se sustinet

amq; vitã legitimè tuetur; Huius actus sunt,
 non excarnificare se nimia tristitia, Sir. 30,
 24. Dilige animam tuam, & cor tuum
 consolarè ac mærorem abs te longè depel-
 le multos n: mæror interemit, nec est in eo
 fructus conf. Eccl. 5, 17. 18. 19. c. 8, 15. c. 9, 7.
 Sir. 40, 20. Defendere se moderatâ tutelâ.
 Non occidere se. Moderari labores.

5. Quæ est humanitas ad proximum
 relata?

Humanitas ad proximum relata, est chari-
 tas quâ proximi vitam tranquillitatemq;
 tuemur. (Actus ejus generalis est, quocunq;
 modo, omni tempore, totis viribus vitam pro-
 ximi defensare, juvare in necessitatibus.)

Estq; vel Ethica vel politica.

Ethica charitas, est quæ inclinât nos ad pro-
 ximi tranquillitatem conservandam, per
 virtutes quasdam Ethicas. Sunt verò Pathe-
 tica vel Homiletica.

Pathetica virtutes sunt, quæ affectus no-
 stros erga proximum dirigunt, ut:

I. Concordia, & benevolentia, ex quibus
 amicitia efflorescit. Psalm.: 133. v. 1. Ecce
 quam bonum & jucundum est, fratres habi-
 tare

care in unum Ephes: 4, 3. Studentes servare unitatem Spiritus, pervinculum pacis.) Hujus actus sunt, querere pacem, Opposit: istudere contentiositati, &c. Matt: 5, 27. in gestibus eam exprimere.

II. Mansuetudo & placabilitas, quâ proximo offensas relinquimus & iram moderamur. Psalm: 4. Irascimini: & nolite peccare: Ephes. 4. 26. Sol ne occidat supra iracundiam vestram: Matt. 5. 25. Esto amicus adversario tuo, dum es cum eo in viâ. (Oppositum hujus est Irreconciliabilitas, Ira, Odium, Rancor. Ephes: 4. 31. Coloss. 3. Gal 5. 21.

III. Beneficentia & liberalitas, quâ proximi egestas sublevatur Rom: 12. 13. Sanctorum necessitatibus communicantes, hospitalitatem sectantes. Matth: 25. 37. [Oppositum est immisericordia, avaritia.] Confer. Heb: 13. 16.

6. Quæ est charitas homiletica?

Charitas homiletica est humanitas, affabilitas, sinceritas candor: (Opposita sunt Simulatio, dolus, morositas, iudicium temerarium de proximo. (Proverb: 12, 19. Labi-

Labium veritatis firmum erit in perpetuum v. 20. Dolus est in corde cogitantium, malum. Matt. 7, 1. Nolite iudicare & non iudicabimini.

7. Quæ virtus Politica hujus præcepti?

Humanitas Politica est, quâ homo proximum politicè consideratum, in tranquillitate vitæ tuetur. Hujus actus sunt 1. Intercedere pro proximo. 2. Eruere eum ex necessitate, vel privatim, vel publicè, in bello. Sirach: 4. 9. Injuriam patientem eripe è manu injuriam inferentis. Proverb: 14. 11. confer. Summa hujus præcepti est duplex. 1. Ut proximus vivat. 2. ut benè vivat. Matt: 7. 12. Omnia, quæ volueritis, ut vobis faciant homines, ita & vos facite eis. (Opposita sunt. I. Sanguinis effusio. II. Subornatio homicidiorum. III. Actus omisse defensionis, IV. ἀντοχρησία. V. Homicidium gestum, & sermonis. VI. Ἐπιμαρτοκαλία. VII. Invidia, &c.

CAPUT VII.

De charitate sexti præcepti.

Chr.

Charitas circa personam proximi occupata, ita fuit: sequitur ea, quæ circa statum & puritatem proximi versatur. Estq; Temperantia, cui verecundia adiacet.

1. Quid est temperantia?

Temperantia est charitas circa puritatem, cum nostri, tum proximi occupata, cupiditatem nutricem & generatricem, & utriusq; ministros, gustum tactumq; moderans: Dicitur aliàs sobrietas Exod: 20. Non mœchaberis 1 Pet. 3. 7. Estote temperantes. Rom. 13. 13. Ambulemus, non in comestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus. Gal. 5. 22. 23 Fructus Spiritus temperantia. (Opponitur ei intemperantia: stupor quidam in contemptu licitarum voluptatum positus Esai. 58. v. 5.)

2. Quotuplex est temperantia?

Duplex: Frugalitas & castitas. Frugalitas est temperantia circa nutrimentum sumendum. Estq; abstinentia vel sobrietas.

Abstinentia est temperantia circa cibum & potum. Proverb. 10. v. 16. Justus utitur suis facultatibus ad vitam Proverb. 25, 16.

Co.

Comede, quod sufficit tibi. (*Opposita sunt voracitas, nimi à maceratio per jejunium, Coloss: 2. 23.*) *Sobrietas est temperantia circa potum: Sirach 31. 35. Vinum creatum est, ut recreet hominem. Confer Sirach: 37. 34. c. 31, 22. c. 32, 1. 15. 18.* (*Opponitur & vinolentia. 1 Pet: 4. 3. nimiaq; potus abstinencia. Esai: 5. 22. Vx, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes, ad miscendam Ebrietatem!*)

3. Quid est Castitas?

Castitas est temperantia, circa facultatem generatricem rectitudinem actus & objecti servans. Sap 3. 13. Qui castè vixit, in visitatione animarum fructum capiet: 2. Cor. 6, 4. 6. Probamus nos, ut servos DEI, in castitate.

Estq; triplex I. Virginalis, quæ à virginibus custoditur. 1 Cor. 7. 34. Virgo innupta curat ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta cum corpore, tum spiritu. II. Conjugalis, quæ in conjugio, Titum: 2, 5. Honestæ sint (mulieres) puræ, domi manentes, III. Vidualis, quæ à viduis servatur 1. Timor: 5. 5.

Quæ

Quæ verè vidua est ac sola, sperat in DEO
& permanet in deprecationibus & orati-
onibus, die ac nocte.

(Ad conjugialem castitatem, conjugium
refertur. Huic v. opponitur Polygamia, qua
simul duæ vel plures fœminæ ductæ sunt in
matrimonium.

Scortatio, quæ est soluti cum soluta in u-
nam carnem conjunctio Heb: 13. 4. Scorta-
tores & adulteros judicabit DEUS. Stu-
prum est honestæ mulieris vitiatio.

Fornicatio v. inhonestæ Adulterium
verò est, cum alterutra persona vel utraque
est conjugata vel desponsata Levit: 18. 20.
Incestus est propinquorum carne commix-
tio. Lev: 18. Raptus, cum vi rapiter ad
conjugium v. Dina. Genes: 34. v. 2.

4. Quænam verecundia vel pudor, castitati adjacens?

Verecundia est casta quedam affectuum
gestuum, dictorum sanctimonia & mode-
ratio, ad legem modestiæ & honestatis,
Hebr. 12, 28. Placeamus DEO, cum reve-
rentia & religione. 1 Tim. 2, v. 9. Mulieres

H

ami-

amictu honesto, cum verecundiâ & modestia sese, ornent, non cincinnis, auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu. (*Oppositum ejus.*)

I. Impudentia, immodestia in gestibus, dietis, vestibus, incessu. Prov. 7. v. 10. Mulier ornata meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula, vaga. Confer v. 13. Ibid: Sirach 23, 6. Animæ irreverenti & infrænatae non tradas servum tuum. II. Spurca libido, Coloss 3, 5. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem. III. Effectus est gestus ejusdem, impudicus aspectus. Job. 31. 1. Matth. 5, 28. nutus, oscula, amplexus, spectacula obscæna. Verborum obscænitatis. Ephes. 5. 4. Turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas (ne nominetur in vobis) IV. Impurus concubinatus.

Hactenus charitas fuit, circa proximi vitam & puritatem occupata.

CAPUT VIII.

De charitate septimi præcepti.

Se-

Sequitur charitas occupata circa bona proximi. Estq³ duplex. Vna, quæ occupatur circa bona fortune, nempe opes: Altera, quæ circa bonum famæ versatur.

Charitas circa opes proximi versans in septimo præcepto est, quacum nostra, tum proximi bona fortune conservamus: Exod. 20. Non furtum facies.

Estq³ hæc charitas vel Ethica, vel Politica.

Ethica est triplex I. Frugalitas. II. Liberalitas III. Assiduitas.

I. Quid est frugalitas?

Frugalitas est charitas, qua bona nostra in frugem collocamus Prov. 27, 23. Diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.

Frugalitati affinis est Parsimonia, quæ necessarios & honestos sumptus impendimus. Proverb. 13. v. 11. Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Prov. 24, 4. In doctrinâ replebuntur cellaria. Oppositum est I. Tenacitas. Sirach. 14, 3. Homini livido ad quid aurum? 2. Avaritio. 1 Tim.

6, 10. Radix malorum omnium est avaritia: Coloss. 3. v. 5. Avaritia est cultus idolorum.

2. Quid est liberalitas?

Liberalitas est charitas, bono nostra cum alijs benevolè communicans 2 Cor. 8. 14. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat. c. 9, 7. Hilarem datorem diligit Dominus.

Actus eius sunt, remittere debitum Matt. 18. 27. Dominus servo remisit debitum. *Mutuare libere;* Luc. 6, 35. Benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes. *Elemosynas dare.* Matt. 6. v. 3. Te faciente Elemosynam, nesciat sinistra, tua, quid faciat dextera *Hospitalem esse.* 1 Petr. 4. 9. Hospitalis sitis mutuò sine murmure. *Opposita sunt. I. Maleficia, II. Profusiones immodice.* Prov. 6, 17. Non te alienis cum (fontes tui) tuas.

3. Quid est assiduitas?

Assiduitas est charitas, qua quis vocacionis suae partes diligenter exequitur, 2 Thess. 3. v. 12. Cum quiete operantes, pane suo vescatur.

Prov^x

Prov. 6, 9. Usq; quò piger dormies, quando confurges è somno tuo?

II. *Curiositas* 2 *Thess.* 3. 11. 12. *Nihil operantibus, sed curiosè agentibus, denunciamus & obsecramus in Domino, Jesu Christo, ut cum silentio operantes panem manducent.*

III. *Mendicitas non necessaria.* 2 *Thess.* 3, 10. Si quis non vult operari, non manducet (c. mendic. *Monach.*)

Ethica charitas hætenus fuit: sequitur Politica, ut Iustitia commutativa, & Iustus titulus.

4. Quid est iustitia commutativa?

Iustitia commutativa est charitas politica, qua in contractibus & permutatione rerum equalitatem Arithmeticam servamus 1 *Thess.* 4, 4. Ne quis decipiat & defraudet in negotio fratrem suum. *Prov.* 20. 23. Abominatio est coram DEO statera dolosa (*Versatur a: circa contractus. Contractus v. est obligatio plurium, juxta debitum iusticie mutuo inita. Opponitur ei I. Contractus injustus, illic itus, dolosus.*

II. Futurum Ephes. 4, 28. Qui furabatur, jam non furetur.

III. Abalienatio bonorum, quocunq³ modo facta.

IV. Usura, Ezech. 18, 5. 8. Vir justus usuram non dedit, & amplius non accepit. Species vel modos contractuum ICTI fusi^{us} explicant.

5. Quid est justus titulus?

Titulus bonus vel justus, est rei occupatio ex justa causa Domini, sive hereditate, sive contractu, sive donatione, sive jure belli; Unde nascitur captivitas Esa. 5, 8. Væ iis, qui jungunt domum domui, agrum agro appropinquare faciunt. Amos 2, 6. Vendiderunt argento iustum & pauperem pari calceorum.

Oppositum est I. Furtum ejusq³ varij modi: Ephes. 4, 28. II. Rapina Esa, 33. v. 1. Væ tibi, qui spolias, nam spoliaberis! etiam vi militari peracta Luc. 3. v. 14. III. Expilatio nimia subditorum, quocunq³ demum modo fiat. Horsum: 1 Reg. 12. v. 11. Pater meus imposuit vobis onus grave. (Hæc

(Hæc de charitate septimi præcepti, circa bona fortune occupata, cui vitiosi actus quivis eam violantes opponuntur.)

CAPUT IX.

De charitate octavi præcepti.

Charitas circa bonum fame occupata, precipitur. Exod. 20. Ne loquaris falsum testimonium contra proximum tuum: Estq; veritas, vel veracitas.

1. Quid est veracitas?

Veracitas est charitas, cum nostram, tum proximi famam conservans: Ephes. 4. v. 25. Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. Ps. 15, 2. Quis loquitur veritatem in corda suo. (inhabitabit in monte sanctitatis Domini.) Oppositum est mendacium, in choro, foro, thoro. Est v. duplex: Prima, que circa nos ipsos occupatur, altera, que circa proximum.

2. Quid est veracitas circa nos ipsos?

Veracitas circa nos ipsos est, cum famam nostram tuemur licitis mediis & modis, Sirach: 41, 15. Curam habe de bono nomine:

*Proverb: 22. 1. Melius est nomen bonum,
quam multæ divitiæ. c. 26. 5. Respondeat
Stulto secundum stultitiam suam.*

*(I. Oppositium est neglectus bonæ famæ.
II. Cognatum v. gloriari verè, in Domino.
I Cor. 1, 31. Qui gloriatur, in Domino glo-
rietur. I Cor. 15, 10. Plus omnibus labora-
vi non ego, sed gratia DEI in me. III. Si-
bi adulari, ex quo Philautia nascitur.*

3. Quid est veracitas erga proximum?

*Veracitas circa proximum est charitas,
qua proximi famam & æstimium tuemur
& veritatem exercemus I. Cor: 13. 6. Di-
lectio congauget veritati: Esa. 33, 15. Am-
bulans in iustitiis obturat aures, ne audi-
ant sanguinem. Huc spectat excusatio pro-
ximi, & omnium rumorum, dictorum fa-
ctorum interpretatio mitior.*

Modi huius veracitatis sunt.

*1. Taciturnitas, quâ secreta nobis com-
missa silentio obtegimus, & sermonem proxi-
mi salutem conformamus. Sir: 20. 13.
Diu considera quid loquendum sit. Ja-
eob. 1. v. 19. Omnis homo sit tardus ad lo-
quendum.*

Op.

Oppositum Multiloquium & garralitas
revelatio secreti. Sirach: 19. 27.

2. Fidelitas in promissis & veritas in te-
stimoniis. Actus hujus veritatis est quoque
delatio honesta. Gen. 37, 2. Joseph detulit
infamiam fratrum suorum Patri. Conf.
Levit. 5, 1. oppositum est I. Falsum testimo-
nium. II. Perjurium III. Delatio & sparsio
falsorum rumorum.

3. Candor, simplicitas.

Oppositum est Delositas.

4. Urbanitas, comitas, parrhesia.

5. Correctio proximi.

6. Justum iudicium de proximo.

Oppositum est temerarium iudicium.
Matt. 7, 1. Detractio 2 Sam. 15. Simeï ma-
ledic: Extenuatio donorum DEI in pro-
ximo. Suspicio prava. 1 Tim. 6, 4. Matt 15.

CAPIT X.

De charitate noni præcepti.

Charitas gradus subordinati, erga pro-
ximum ita fuit: Sequitur charitas gradus
summi.

H 5

1. Quid

I. Quid est charitas gradûs summi.

Charitas gradûs summi est habitus Θεός-
 δοτ³ quo ex corde puro, proximo bona
 sua parta & testâ volumus, illorum occu-
 pandorum nulla quidem concupiscentiâ ti-
 tillati. (non hic I. concupiscentia naturalis
 sibi, potius Luc: 16. 21. II. Neq³ spiritalis.
 Psal: 42. 1. III. Sed vitiosa illa inclinatio &
 corruptio natura nostra, in singulis præcep-
 tis prohibita quidem communiter, in duobus
 v. his præceptis, synecdochè bonorum proxi-
 mi, singulariter indigitata intelligitur. D.
 Luth: in Catech: major: D. Chemnit: in L.
 C. Exigitur itaq³ IV. Iustitia & perfectio il-
 la Originalis, de quâ supr: lib: 1. cap. x.

2. Quotuplex est hæc charitas?

Vna quidem in se est: attamen ratione sui
 actûs est vel noni vel decimi præcepti. (Sive
 actûs secundi vel primi) Charitas noni
 præcepti sive actûs secundi, est qua nun-
 quam inducimus animum ullo juris prætex-
 tu bona proximi. cum ejusdem damno ad
 nos pertrahere. 1 Reg: 21. 2. Locutus est
 Ahab ab Naboth: Da mihi vineam tuam,
 &

& erit mihi in hortum olerum: Est n: propè & juxta domum meam &c. Marc. 10, 19. Ne damno adficias quemquam. *Hujus actus duo sunt.* I. *contentum suo vivere.* I Timoth. 6, 6. Est magnus quæstus, pietas cum animo sua sorte contento. II. *Proximi salutem non secus ac suam querere,* I Cor. 10, 24.

3. Quinam actus oppositi?

(Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius est. *Actus oppositi sunt* I. desiderare domum (bona quævis) proximi, hoc, prohibetur concupiscentia pariens, actus secundus, Jacob: 1. v. 15. Cupiditas, postquam concepit, parit peccatum.

2. Prætendere suæ cupiditari speciem juris, ad exambiendam justitiam tituli fucum & colorem ut. I Reg: 21, 2.

3. πλεονοξία, vel avaritia I Tim. 6, 10. Radix omnium malorum avaritia est.

4. επιχαρισκακία, cum in proximi malis gaudemus: Obad: 12. Non debebas lætari super filiis Israel, die, quo perierunt.

5. Φιλαντία: vel sui amor. 2 Tim. 3, 2. Erunt homines sui amantes.

6. *Invidia: vel oculus malus Matth. 20.*
 15. Nunquid oculus tuus malus est, quod
 ego bonus sim.

7. *Præbere arma injustitiæ & cupiditatæ
 membra sua. Rom. 6, 12, 13.*

CAPUT XI.

De charitate decimi præcepti.

*Charitas noni præcepti & actus secundis
 ita fuit: sequitur charitas actus primi, de-
 cimo præcepto imperata.*

1. *Quid est charitas gradus summi in
 hoc præcepto decimo?*

*Charitas actus primi seu decimi præcepti
 est, qua proximam ita diligimus, ut nulla
 nobis obrepit concipiens concupiscentia
 bonorum proximi, Exod. 20. Non deside-
 rabis uxorem ejus, non servum, non an-
 cillam, non bovem, non asinum, nec o-
 mnia, quæ illius sunt. Jacob. 1, 15. Concu-
 piscencia, cum conceperit, parit pecca-
 tum. Peccatum verò, cum consummatum
 fuerit, generat mortem. (contra Pharis.
 Philosophos, concupiscentiam inter totas
 ànegateias referentes. Arist. 3. Nicomach.
 6. 3. Seneca lib. 2. 9. 4. de Ira.*

Hu-

Hujus igitur charitatis actus sunt :

1. *Diligere proximum ex toto corde & puro.* 1 Tim. 1. 5. Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

2. *Præstare legi obedientiam,* Rom. 7. 14. Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum. Quod ergò bonum est, mihi factum est mors? absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum mihi est mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.

3. *Cogitare bona de proximo.* Zach. 8. 17. Quisq; malum contra proximum suum, ne cogitetis in cordibus vestris, Matt. 15. 19. E corde egrediuntur cogitationes malæ, homicidia adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.

4. *Suggestioni malæ resistere.* Gen. 4. 7. Nonne si benè ageris, recipies: si a: male, statim in foribus peccatum tuum aderit,

rit, sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei. *Confer Gal. 5, 16. 24.*

(Aliàs dicitur mortificatio, Colofs. 3, 5. Rom. 6, 12. abnegatio sui vide cap. 20, lib. 1. de sanctific.)

2. Quænam opposita?

Oppositum est concupiscentia originalis. (de quâ cap. 11. lib. 1. I Cor. 10, 6. Ne simus concupiscentes malorum. Eius sunt tres gradus: suggestio, delectatio, assensus.

Actus verò sunt: 1. desiderare bona proximi, vel male cogitare. Leges humane malas cogitationes simpliciter non damnant. Sensualitati tribuit eas Lyra in c: 5. Matth.)

2. Concupiscere adversus spiritum Gal. 5, 17. vel obedire concupiscentiis. Rom. 6, 12. vel peccato operanti concupiscentiam. Rom. 7, 8. Rom 7, 7. Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: non concupisces. (contra neg: Pontif: Anabapt.)

*3. Omnis cordis hypocrisis Matt. 23, 27. Væ vobis scribæ, & Pharisei, hypocritæ, quia similis estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum. Contra
ficti-*

stetitiam impletionem legis Pharisæic: Matt. 5. & Pontific: quâ se legi satisfacere posse, falso gloriantur:

4. *Omnia alia peccata. Jacob: 4, 2. 1 Joh. 2, 16. 2 Petr. 3, 3.*

Tantum de, Fidei fructibus, alterâ Theologiæ parte: adeòq; conclusio & finis Breviarij.

IMPLE NOS,

Optime Jesu, fide, in te verâ, & fructibus fidei, ut tibi insiti, per fidem salvemur, proximo nostro servientes, & omnem impietatem abrogantes, piè, justè, castè.

TIBI,

PROXIMO,

NOBIS.


*Vivamus hîc, tecum olim victurâ
in regno gratiæ, in regno gloriæ.*


AMEN.

Summa Theologiæ Christianæ.

1 Joh. 3, 23.

Hoc est mandatum Dei, & credamus in nomine Filii ejus, & diligamus alii allos;





Additamenta.

Quædam Mnemonico-Biblica.

I. Series & ordo librorum Biblicorum.

V. TESTAMENTI.

A. Historici.

Genesis, Exo-Levi, Numerorum, Deuteronomi.

Describunt nobis res gestas Iosua, Iudex.

I. II. I. II. I. II.

Ruth, Samuel, Reges, Chronica, Esdra

B. POETICI. Nehemia & Esther.

Hinc Iobus, Psalmi, Proverbia, Concio
Carmen.

C. PROPHETICI.

Post vana canunt, Esa: Ier: & Ezech.
Danielq.

Hoseas, Ioel, Amosus, Obadia, Ionas.

Michas & Nabum, Habacuc, Zephania,
Chaggai.

Zacharias clarus, Malachias, ultimus
infit.

D.

D. APOCRYPHI.

Tertius & quartus Esdrae, fragmenta
 pudica

Esther, Monassisq̄, rogatio, cumq̄, Tobia,

Et Iuditha, Baruch, cum scriptis Hilkia-
 disq̄

Et Davidiadis Sapiencia, Siracidesq̄,

Et quoque Danielis superest pars cum
 Machabais.

NOVI TESTAMENTI.

A. Historici.

Matthaeus, Marcus, Lucas aliusq̄, Ioan-
 Actus Apostolici. — (nes.

B. Didactici.

succedunt Roma, Corinthus,
 Pro Galatis, Ephesis, Philippis, atq̄, Co-
 lossis, (Petri,

Thessalo, Timotheo, Tito, Philemone,
 Iacobi, & Hebraeis Iacobus, Iuda.

C. Propheticus.

Apocalyp:

II. Numerus capitum singulorum libro-
 rum Biblicorum eorundem.

V.

V. Testamenti.

Quina tibi deciens Genesis: deciesq; qua-
terna

Exodus: & novies dat tibi terna Levi:
Membra novena quater Numeri: ter dena
deinde

Et duobis memorat lex repetita tibi:
Iosua sena quater: ter septem Iudicialis:
Bis duo messorum dat tibi Rutha sequens:
Bis duo terq; novem Samuelis primus: at
alter

Bis duo dona tibi commemoranda locat:
Bina dat undecies Rex primus: sena qua-
terq;

Ac unum, Regum post liber alter habet:
In Chronicis primus numerat his dena no-
vemq; (quater:

At liber alter habet membra novena
Esdra decem: tredecim Nehemias: virgo
pudica

Esther membra tibi dat genuina decem:
Iob quadraginta duo: Psalmos post ordinem
centum,

Et decies quinos collige quinq; libris:
Dena ter ac unum Gnomæ: bis senaq; varis
Corticis: submitunt candida bina quater:

Sena dat undecies Esaias: sed Ieremias
 Quinatibi decies & duo: quinque Ge-
 mens:

Exechiel decies dat quatuor, addit & octo:

Hinc Daniel vates bis tibi sena canit:

Bis septem Hoseas: Ioel & tria: terna ter
 Amos:

Obadias unum: bis duo Iona legit:

Septem Micheas: Nabum tria: sic Habacu-
 cucus:

Atque Sophonias, dant tria membra tibi:

Haggaeus duo membra notat: septena bis au-
 tem

Zacharias: Maleach bis duo scripta de-
 dit:

N. Testamenti.

Matthaeus septena quater: Marcusque bis
 octo:

Lucas sena quater: tot tribus absque Io-
 han:

Actus dant septena quater: sed Romae bis
 octo:

Prima tot urbs bimarum: posterior trede-
 cim:

Sex Galatis: Ephesus totidem: sed deinde
 Philippis. **Qua-**

Quatuor, & eorundem scripta Colossiacis:
Thessalonica prius quinque; & tria postea ce-
pit:

Bis tria Timotheus; bis duo deinde simul:
Sunt tria scripta Tito; Philemon legerat nu-
num:

Sena bis ac unum, dicta Hebraea tibi:
Quinque Jacob; sic quinque tibi, dat prima Pe-
trina:

Posterior Petri dat tria membra tibi:
Iannis quinque prior; sed postea qualibet nu-
num:

Ordine sic unum Iuda fidelis habet:
Undecies binis Iohannes ultima scribit:
Tempora sit fedus clauditur omne no-
vum.

III. Summa ferè generalis omnium
Librorum V. & N. T.

V. Testamenti.

I. Canoniorum Historicorum.

Initrat in Aegyptum Genesis liber, Exo-
dus exit. (est.

Sacrificat Domino Leviticus, in Numeris
Pugna gravis, legem replicat tibi Deutero-
nomi. Distri-

Distribuens cepit promissas Iosua terras.

Quinq₃ Duces populi, Iudex, mox ordine
narrat.

Rutha fatapie, & Booz historia narrat.

Abicitur Samuel, Saul Rex, mala pluri-
ma David. 1. Sam:

David Rex, exulque redux. mala plurima
passus. 2. Sam.

Tertius est Regum, Salomon, Rehobam que,
Abiamq₃.

Assa, bonus Iosaphat, Reges hi quinq₃ Iehu-
de.

Ierobeam, Nadab, Bassa, Ela₃, Zimbri &
Thibni, (elis:

Homri, deinde Achabus, Reges hi sunt Isra-
Quartus habet Judæ Reges bis octo sed
Isrel

Bis sex continuâ prænumerat serie.

Joram, atq₃ Ahasias, Athalia, Joas, Ama-
sias,

Usias, Jotham, Ahas, dein Hiskia Iustus,
Manasses, Ammon, Josias, Joahas, Ioaching₃,
Jehojachin tandem. Zedekia, hi sceptrum Ie-
hudæ,

Ahasias, Joram, Jehu, Joachasq₃, Joasq₃,
Jero-

*Ierobeam, Zacharia, Sallum, Menabem^{us}
Pekabia,
Pecaq³, dein Hoseas, factus præda Assyrio-
rum,*

I. Chron:

*Que generum series, & Davidis gestare-
censet,*

II. Chron:

*Quod Salomo regnum, qui Reges huncce se-
cuti.*

Liber Esdræ & Nehemiæ.

Suscipit edificare Esdras, finit Nehemias.

Liber Esther:

*Estheræ sortem & connubia splendida pan-
git.*

Jobus.

*Vnde pijs crux sit, Iobus longo ordine pan-
git.*

Psalmi.

Iesiades letâ cecinit sua carmina fronte.

Proverbia.

*Conformant mores proverbia sacra proba-
tos.*

Ecclesiastes.

Vanas res hominum Salomonis concio ridet.

Can:

Canticum Canticorum.

Describit Christi, Salomonis carmen, amorem.

2. Prophetarum.

Supplicium Iudae & culpas, Christumq₃ futurum.

Vates sunt monitis soliti praedicere sacris.

Vide Daniel. 9. 6. Act. 10. 43. c. 15. 14. Luc. 24. 24.

Luther: praef: in Prophetas vern: D. Urban. Reg.

in coll: Emanunt: Vernac.

3. Librorum Apocryphorum.

III. Esrae, est historia consarcinata e Chronicis & Nehemiae, a Iosia, ad Zerubabellem usq₃.

IV. Esrae continet populi Israëlitici objectiones usq₃ ad Ecclesiam, per Christum instauracionem.

III. Maccab. agit de cladibus Iudeorum sub Ptolomeo Philadelpho.

I. Maccab: de cladibus & victorijs Iudeorum sub Antiocho Epiphane, usq₃ ad Antiochum Sedetem inclusive.

II. De fortuna Iudeorum, a fine Seleuci Philopatoris, usq₃ ad Antiochi Eupatoris tempora.

Sapi-

Sapientia. *Justitiam laudesq;* DEI sapientia pandit

Siracides tradit *morum praecepta piorum.*

Judith *casta caput resecat, resipitq;* Manasses.

Reliquarum particularum & adjunctionum summa facilis est.

In N. T. 1. *Historicorum.*

Naturas Christi status, munusq; figurant
Tres scribae, quartus sermones ordine narrat

Cursum Evangelij senum bis facta virorum.

2. *Didacticorum.*

Qua vera fides fructus fide sit idq; probata
Orta polo doctè Tharsensis Epistola narrat.

Mens eadem est reliquis — Jacob: Petro
Iuda.

3. *Propheticorum.*

Fata gregis Christi Johannes ordine pandit.

F I N I S.



Thom. Venator. Lib. 1. d

Virtut. Christian. p. 50.

& seqq.

Ea demum vera est communitas, ubi nihil per avaritiam possidēt divites, ubi alter alterius necessitati promptâ voluntate subvenit, ubi copia divitiarum tenuiorum inopiam sublevat, per quæ toti mundo inclarescat, non esse scilicet rem fucatam in ecclesiâ Christi charitatem. Quæ quidem communitas aliàs quàm inter Christianos constare non potest. Etenim benefacere amicis & eos diligere tantum, à quibus vicissim aliquid ad nos redire queat gratiæ, commune est & Ethnicis. At inimicis & iis, qui in Christum ipsum nunc impie quidem gratulantur, benefacere, atque ejus gratiâ exhaurire thesauros illos corruptibiles, solum peculiare est Christianis hominibus. Et primum quidem illud naturæ est, alterum autem gratiæ.

)o(

Pro-

Proinde talis quædam inter A-
belem & Cain communitas durare
potuisset, nisi amantior privati com-
modi Cain fuisset, quàm patienter
erre posset indulgentissimum DEI
erga fratrem amorem. Et quis unquã
quæso inter fratres illos, Abrahamũ
lico & Loth, propter durtaxat res
illas extremas, quibus abundabat u-
erque, aut disfidia aut contentiones
concitasset, nisi rixati fuissent pasto-
res gregum Abrahami sc. & Loth.
Quanquam ne propter hoc quidem
ipsi animo separarentur. Ideoque
Abraham haud parum jure suo ce-
dens & communi amborum tranquil-
litati studens, dicebat ad Loth: Ne
quæso sit jurgium inter me & te, & in-
ter pastores meos & pastores tuos,
fratres enim sumus. Ecce universa
terra coram te est, rece. e à me obse-
cro: Si ad sinistram ieris, ego dextrã
tenebo: Si tu dextram elegeris, ego
ad sinistram pergam. Quis obsecro
solvisset tantam amicitiam? Quin po-
tius videam, quàm sanctè etiam Pa-
triarchæ

triarchę sancti coluerint leges amicitie, quãq; nihil non, quod huic adversatur, execrati sint. Etenim qui semel justificat^o est per fidẽ mortuusq; mũdo, ac vitam, quam nunc vivit in carne, per fidem vivit filij Dei, qui queat esse obnoxius execrabili cupiditati.

Solet apud mundo deditos opulẽtiam comitari tumor, tumoris autem comes est ferocitas, quo malo rixę, cõtentiones, factiones, similtates, Philavtia, contẽptus proximi oriuntur. A quibus vitiis usq; adeo alieni sunt Christiani, ut non solũ congregandis divitiis studiũ non impendãt sed etiam seipsos & ipsas jam etiam congregatas divitias (quę ardua res est) si ita salutis fratrum congruere videatur, expendant.


Inter quos a. tanta est concordia aut si magis placet cõmunitas animorũ, quĩ minus rerum externarum esse queat communitas, non video. Nudę charites Christianorũ omnis humanitatis benevolentiaq; refertissima. Itaq; cõmunitas est, si nemo in neces-

sitatibus deseritur : Vbi opulentia
paupertatem non fastidit, ubi pau-
pertas non invidet opulentiaë : Vbi
quisq; pro virili portione sua virtuti
studet, ubi sincera colitur amicitia æ-
què ab hominib⁹. Vbi æquè ab omni-
bus inconstantis aura fortunæ ride-
tur, quod singulorum lōgè sublimior
sit animus, quàm ut à quovis dubio
moveri queat fato. Flent autem cum
flentibus, gaudentq; cum gaudenti-
bus. Prorsus exploditur illud, quod
quidē oraculi loco celebrarunt Pseu-
dotheologorum scholæ⁹, charitatem
perfectam à se ipso proficisci. Aliud
autem huic diversum ab Apostolis
celebratum, nempe, charitas non
quærit quæ sua sunt, Spiritu sancto
approbante, unanimis votis com-
probatum est.

*Pulchrius est patria quàm vincere,
ferre salutem*

*Est juvare magis publica quàm
propria. &c. &c.*


E I N I S.



ALVENSLEBEN

Bd

499



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ARIARIUM

heologiae,

IN
S LIBROS

tributum

ET
licè digestum

In
arum regiaë urbis

DANI.

è
libris, Augustanae

vnōiōs addietarum
um, symbolicis

â
BOTSACCO D.

edanensis Rectore.
unda Correctior.

DEBURGI,

NNIS LÜDEWALDE,
bliopol.

o cō lo c LXIX.